

PALAESTRA

LATINA



ANN. XXVIII (Fasc. IV) — N. 164
M. A. DECEMBRI MCMLVIII

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii **BARCINONE** edendi

Commentariorum pretium: in Hispania et America, 50 ptarum.

In reliquis civitatibus, 2 \$

Pretium PALAESTRAE ADULESCENTIUM: in Hispania, 15 ptarum.; extra Hispaniam, 20 ptarum.

Pretium mittatur oportet ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Apartado 1042 - BARCELONA
vel ad PROCURATORES singularum nationum

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - BARBASTRO (Huesca)

Depósito Legal L - 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

INDEX

ANN. XXVIII (Fasc. IV) N. 164

M. DECEMBRI A. MCMLVIII

<i>EVGENIVS PACELLI...</i>	445
N. MANGEOT, <i>Ovidius Naso</i>	446
J. IJSEWIJN, <i>Iter ad Blemyes</i>	449
C. SCHOENBERGER, <i>Quae sit nostra aetate condicio artium bonarum</i>	455
AE. ORTH, <i>Demetrius Alexandrinus</i>	458
H. H. PAOLI, <i>Cantus nivalis</i>	462
A. AVENARIUS, <i>De Pio Papa XII «anecdoton»</i>	463
AVENARII - MIR, <i>Epistulae</i>	464
J. HOLZER, <i>De «clausura fulminea» iterum</i>	466
J. M. MIR, <i>Nos in schola latine loquimur</i>	469
J. ARAMENDIA, <i>Pinus principatum obtinet</i>	475
A. AVENARIUS, <i>Spem alimus Consilii Latini</i>	477
J. FABREGAS, <i>Et in terra pax</i>	478
AVENARIUS - MIR - HOLZER, <i>De verbis in latinum inducendis a sociis disputatur</i>	479
J. IJSEWIJN, <i>Cursim notata</i>	585
J. SIDERA, <i>Per Orbem</i>	486
BIBLIOGRAPHIA, González, Mir, Molina, Aramendia, Sidera	493
PALAESTRA ADULESCENTIUM	
Lugete, pueri, lugete!	499
R. Bilbao, Joannes et phaseli magici	500
Lucumo seu L. Tarquinius Priscus	502
C. Latorre, Amici quoque in morte	437
Nos in schola latine loquimur. - Aenigmata	443
Mel in Catinis. — Pecten. — Abacus veneficus	506
Solutiones	506
Index rerum et scriptorum, a. 1957 et 1958	444

EVGENIVS · PACELLI
PIVS · XII · PONTIFEX · MAXIMVS
VIR · PRAESTANTISSIMO · INGENIO · EXIMIISQVE · ANIMI · DOTIBVS
POSTQVAM · ANNOS · AMPLIVS · XIX
PRVDENTER · SAPIENTER · INTEGRE
CHRISTI · ECCLESIAE · GVBERNACVLA · REXIT
TETERRIMIS · DVM · ORBIS · CRVENTABATVR · BELLIS
AVCTOR · SEQVESTER · VINDEXT · PACIS
COMMISSVM · DOMINI · GREGEM · PAVIT · DOCVIT · DVXIT
SACRIS · LITTERIS · ORATIONIBVS · ADLOQVIIS · PRECIBVS
CHRISTIANAM · ET · RELIGIOSAM · VITAM · EXCITAVIT · PROMOVIT
LITTERARVM · ET · LATINITATIS · STVDIA · FOVIT · ET · AMPLIFICAVIT
DOCTRINAM · CHRISTIANAM · DILUCIDAVIT
DEIPARAM · IN · CAELVM · ASSVMPTAM · FIDE · CREDENDAM · EDIXIT
INNVMERAS · FIDELIVM · ROMAM · VISITANTIVM · TVRMAS · SALVTAVIT
EXEMPLO · PASTORIS · BONI · OMNIBVS · OMNIA · FACTVS
A · D · VII · IDVS OCTOBRES · ANNO · MDCCCCLVIII
IN · ARCE · GANDVLFII · PIE · DECESSIT
TOTI · ORBI · LVCTVM · RELINQVENS · ET · SEMPITERNAM · SVI · MEMORIAM

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

ANN. XXVIII (FASC. IV) — N. 164

M. DECEMBRI

A. MCMLVIII

OVIDIUS NASO

Cum Graeci, Periclis potissimum aetate, altissimum litterarum fastigium sint consecuti, adeo ut in omni scientiarum et artium genere posteritati essent magistri, Romani lento et titubanti passu Parnasum conscenderunt. Cujus rei nonnullae sunt causae. Natura enim Romanos ingenio non tam poëtico quam politico, militari rerumque usu exercitato donaverat. Adhaerebant, ut solent agricolae, majorum moribus, impediabantur continuis optimates inter et populares bellis. Consumebant vires exteris nationibus dicioni suae subiciendis et gentes Italas in unum corpus redigendi studio. His iniquis condicionibus factum est, ut nunquam tantam eruditionem ac doctrinam fuerint adepti quantam Graeci. Cum vero Augustus imposito bello civili fine pacem attulisset, litterae et ars poëtica florescere coeperunt. Ille enim ingenio suo perspicaci facile cognorat, quanti ponderis et animis conciliandis et studio dignitatis imperii ejusque gloriae accendendo litterae essent. Quare litterarum fautor liberalissimus nascentes poëtas omni opera et consilio adjuvit.

Eodem fere tempore Ovidius Naso equestri ordine Sulmone Paelignorum anno 43 a. Chr. natus, una cum fratre natu majore, quem mors praematura posthac exstinxit, Romam petiit, ut artem oratoriam et juris scientiam quorum praesidio via ad honores divitiasque facile pateret, addisceret. Quod ut faceret, magis patris reverentia quam ipsius rei studio movebatur. Frequentabat Porcii Latronis et Arellii Fusci, clarissimorum oratorum, declamationes et sese in arte dicendi exercebat. Postquam Athenas, unde quasi de fonte perenni tot illustres viri romani litteras hauserant, lustravit, aliquamdiu in Asia et Sicilia moratus, in Urbe sedem fixit. Nec multo post in «Triumvirorum capitalium» collegium, quorum erat custodiis praeesse et supplicium

de hominibus scelestis sumere, est cooptatus. Tum «decemvir litibus iudicandis» factus est. Sed iudicandi muneris brevi pertaesus sese a negotiis publicis prorsus removit et Macro, Propertio aliisque poetis se adiunxit. Rebus enim prosperis, otio, pace, familiarium consuetudine magis oblectabatur quam siccis jurisprudentiae notionibus. Evolvebat dotes poeticas, quibus mox haud mediocrem laudem sibi acquisivit. Bis matrimonium iniiit, bis divortio diremit. Cum tertia conjuge beate vixit. Id ex multis ad eam ex Ponto datis litteris et ex ipsius de mariti exilii dolore apparet.

«Uxor amans flentem flens acrius ipsa tenebat
Imbre per indignas usque cadente genas».

«Non potes avelli, simul hinc simul ibimus, inquit,
Te sequar et conjunx exulis exul ero».

Trist. 1, 3, 17-18; 81-82.

Ut sol natura lucet, ita verus poeta versus facit.

«Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos
Et quod temptabam scribere, versus erat».

«Saepe pater dixit: Studium quid inutile temptas?»

Trist. 4, 10, 25-26; 4, 10, 21.

Atqui prima artis poeticae initia tragoediam incchavit, cui nomen Medeam indidit quaeque aequalibus magnopere fuit accepta. Temporum autem injuria interiit. Tum aliud genus poeticum attigit elegias sive «amores». Spirat hoc carmen vetiti amoris blandimentum, sed conciliavit auctori omnium legentium animos et, quantopere animam femineam ejusque ultimos recessus et latebras perspiceret, lucide demonstravit. Idem carmen, etsi nec Tibulli sensum nativum aut animi affectum nec Propertii ardorem adaequat, tamen indole jocosa, varietate sententiarum et conformatione, orationis facilitate versuumque elegantia utrumque vincit. Subsequebantur «Heroides», epistulae amatoriae, in quibus feminas amatoribus longinquis scribentes inducit. Repetuntur quidem personae ex Mythologia, sed ea, quae vivide sentiunt, ipsius nostrae aetatis feminae sentire sunt dicendae. Posthac auctor fecundus foras dedit carmen de «medicamine faciei», quo remedia venustatis augendae attulit, quoque apud feminas nobiles magnam sibi laudem comparavit.

Omnia, quae hactenus vulgaverat, non multum habebant, unde mores legentium depravarentur. Sed «ars amatoria sive amandi» posthac edita est compendium, quo adulescentes pariter ac viri artes amandi discerent et ideo carmen vere lascivum. «Nil nisi lascivi per me discuntur amores». Atque ea, quae in «amoribus» leviter attigerat, arte amandi fuse et consulto illustrat. Namque propinat carmen oratione facili et venusta compositum et specioso pictum colore, quod nihil nisi impudicitias, adulteria, lupanaria oleat. Addidit quidem «remedia amoris», quibus remediorum excusationem afferebat, quasi non matronis, sed meretricibus scripsisset. Sed tamen ista lasciva non modo

Romanis sed toti orbi terrarum summa intulere mala. Conjungit enim auctor obscenitates Catulli cum molli Tibulli teneritate ac summo Propertii ardore. Eleganti veste induitur peccatum, licentia effrenata leges omnes impune transgreditur, impudicitia et adulterium traduntur et laudantur. Negari nequit carmina ista ex communi tunc aetatis morum pravitate profecta vitam nobilium turpem et vulgi optime illustrare. Sed non omnibus fuisse probata ex eo colligitur, quod auctor editis «remediis amoris» recantare studebat.

Verum Augustus grassante latius in dies morum corruptione territus priscam majorum integritatem legibus conditis restituere conabatur. Ipsam filiam Juliam, paene meretricem ac noctivagam anno 17 a. Chr. in insulam Pandatariam et ejusdem nobiles amatores alios alio relegavit. Lege Julia «de adulteriis» cavet, ne viri nobiles feminas ignominia aspersas ducerent fornicationi et adulterio gravi imposita poena. Idcirco Ovidius timore adductus, ne justam imperatoris excitaret iram, «Fastis» animum applicuit. Colligebat enim eas graecorum romanorumque deorum fabulas, unde praecipui dies festi et caerimoniae erant profectae. In hac re tractanda, fabulator elegantissimus, omnes facile superat. Nunc vitam aetatis suae agrestem, nunc mores, cum ruricolae casas calamis tectas prope oras palustres Tiberinas inhabitant, illustrat. Modo cum Ennio et Silvio in primam imperii historiam excurrit, modo honorifice Augustum ejusque familiam prosequitur. Sive Cererem canit, sive Proserpinam raptam et matris infelicis luctum, seu Silenum inducit asinum conscendentem, ut de arbore cava mel surripiat, seu apum agmen in furem furiose invehens, seu asinum, de quo Silenus deciderat, decidentem ungula ferientem: versus ubique veluti undae properant. Narrandi facilitate, venustatis, qua omnia pingit, gratia, distichorum sono, granditatis Romae mentione auctor Vergilio et Flacco palmam eripere videtur.

Sed excellunt inter omnia Ovidii opera «Metamorphoseon libri». Colligit hoc carmine cunctas antiquitatis mutationes et in artificium clarissimum contextit. Neque ullam aliam materiam arti narrandi tam aptam invenire poterat nisi illas mutationes, quas mythen graeci in tanta copia et tanta hominum eventuumque varietate praebant. In hoc litterarum genere Ovidius, quantum arte matura valeat, ostendit. Mutationes sive «Matamorphoses» facile intelleguntur ex nativa priscorum temporum religione, qua homines intima cum natura necessitudine vivebant et res inanimas animari et animalia in homines mutari posse putabant. Qua ex fide apud omnes gentes illae Metamorphoseon fabulae exoriebantur, sed apud Graecos inexhausta copia et formarum varietate florebat. Quam materiam Nicander, Theodorus, Parthenius multo ante tractarant. Sed Ovidius, quae ex illis petierat, ea suo prosequeretur ingenio, sua conjungebat arte. Sunt quidem Metamorphoseon libri carmen admodum copiosum; sed auctor molestiam, quae facile legentibus surrepere possit, variando argumentum et scaenis tristibus laetas submittendo demit et ita carmen longum vivide praebere novit. Quare primis p. Chr.

saeculis et medio aevo multum legebatur et, ubicumque artes liberales flore-
bunt, legetur. Quis est, quin laudet «aetates quattuor, diluvium magnum,
Deucalionem et Pyrrham, Narcissum et Echo, agricolas Lydios in ranas
versos: «Quamvis sint sub aqua, sub aqua maledicere temptant», Nioben,
Philemona et Baucidem, Daedalum et Icarum?». Opus absolvit Romulum
Romae et Caesarem imperii conditores in stellarum numerum referendo.
Praesentit gloriam suam perennem.

«Ore legar populū perque omnia saecula fama
Siquid habent veri vatum praesagia, vivam».
15, 878-879.

Nec tamen catastrophē, cuius viam carminibus obscenis straverat,
retardare poterat. Diffusa enim serpebat morum corruptio nec conditis ab
Augusto legibus cohibebatur. Immo ipsa senescentis imperatoris neptis Julia,
matris Juliae sorte minime edocta, patrato adulterio domum regiam nova
affecerat ignominia. Qua re senex fractus indignam in exilium jecit. Num
Ovidius sceleri affinis fuerit, non liquet. Tamen exeunte anno 8 p. Chr.
edicto imperatoris Tomos ad Histri ostia est relegatus. Vix pejus quid ei
accidere potuit. Namque ex Urbe, e vita jucunda, ex amicis litterarumque
studiis misere ereptus, procul a patria, in regione vasta, inter milites et
colonos sermonis latini rudes, vitam traxit amaram et pro molli et effeminato
ingenio hoc miserarum cumulo prorsus corruit. Sed ut sub cineribus scintillae
gliscere solent, ita quoque relegatus sub fortunae ruinis: «Tristia, litteras ex
Ponto» scripsit. Sunt vere tristes, flos poësis defloruerat, animus hilaris in
melancholiam mutatus erat. Vera sunt, quae sentit, sed aequabilitas quere-
larum taedium affert, pallet orationis color.

«Contudit ingenium patientia longa malorum
Et pars antiqui nulla vigoris adest».
Trist. 5, 12, 31-32.

Nec querelis nec precibus, quibus Augusti veniam implorabat, quic-
quam est consecutus. Nec carmine in imperatoris obitum animum Tiberii
flexit. Decessit Tomis anno p. Chr. 18 ibique sepultus est. Epitaphium vivus
sibi scripserat:

«Hic ego, qui jaceo, tenerorum lusor amorum,
Ingenio perii, Naso poëta, meo.
At tibi, qui transis, ne sit grave, quisquis amasti,
Dicere: Nasonis molliter ossa cubent».
Trist. 3, 3, 73-77.

N. MANGEOT, e S. J.

ITER AD BLEMYES¹

Anno 421 p. Ch. Olympiodorus Thebaeus, historicus graecus, populi Blemyum visendi studio incitatus, adverso Nilo flumine ultra Syenen² subvectus est in illas regiones quae nunc Aegypti Sudanaeque collimitium efficiunt.

Blemyes enim — vel Blemyae — a regno Decii imperatoris (ca. 250) in extremas Aegypti romani provincias saepius incursantes, Marte vario cum legionibus conflixerant. At quae essent illae tribus, unde venissent quibusque institutis uterentur, quoniam ab orbe terrarum id temporis explorato remotiores vivebant quam quae crebris mercatorum comitatibus frequentarentur, antiqui penitus ignorabant.

Itaque Nonnus Panopolitanus, ultimus Aegypti poeta graecus, Olympiodori fere aequalis, in Dionysiaceis, quibus itinera Dionysi dei ad Indos cecinit, hanc de Blemyis mythistoriam contexit: Deriades crudelis rex Indorum, copiis in aciem eductis, mox a deo superatur. Tum Blemys, fuscus quidam regis praefectus, bellum componere conatus est. Sed audi potius poetae versus in latinum sermonem conversos (lib. XVII, 387-99):

Tum Blemys Indorum cirratus dux Erythrorum
Pacifcas supplex verbenas sumpsit olivae,
Indophoni genibus sese advolvens Dionysi.
At deus in terram ut curvatum conspicit illum,
Erigit ecce manu, populoque una polyglosso
Tramisit fuscum miserans, Erythris procul Indis,
(Deriadis mores namque oderat imperiumque)
In campos Arabum. Postquam prope a litore ponti
Prospera sedit in arva, vocat de nomine cives.
Nam Blemys ora celer petiit septemflua Nili,
Concolor Aethiopum fato qui sceptrifer esset.
Hunc Meroë terra suscepit semper aprica,
Postgenitis Blemyis fieret ut eponymus heros.

Nec nos multa de posteris Blemyos illius Indi scimus, quia relationis Olympiodori nihil nisi summarium brevissimum superest. Colligendae sunt

1. Ad hunc populum quae attinent pleraque inventes apud PAULY-WISSOWA, *Realencyklopadie*, s. v. *Blemyes*, *Talmis*, *Primis*, *Silco*. Vide etiam quae passim occurrunt in libris Udalrici WILCKEN, *Grundzüge und Chrestomathie der Papyruskunde*, Historischer Teil (Berolini et Lipsiae 1912).

2. nunc Assuan.

igitur notulae sparsae apud auctores antiquos rarissimae; quibus addi possumus perpauca eaque exilia documenta non ita pridem e sabulis aegyptiis eruta.

Prima Blemyum mentio facta est a poëtis et geographis alexandrinis tertii a. Ch. saeculi. Ptolemaei enim, reges Aegypti, elephantorum venatores in Africam interiorem mittere necnon smaragdos ex isdem illis regionibus importare solebant. Attamen pauca tantum fide digna ad scriptores graecos latinosque penetrata esse videntur. Strabo, qui circa initium aerae nostrae terrarum orbem diligenter descripsit, hunc populum, quem nec numerosum nec bellicosum esse tradit, in dextra Nili ripa collocat exadversus Nobades sinistram obtinentes. Eosdem Pomponius Mela, auctor Hispanus, semiferos appellat potius quam homines, qui sine tectis sedibusque Nomadum more passim vagabantur. Tantillum vero cum de iis constaret, litterae antiquae fabulis ficticiis abundabant, nec unus est Plinius, qui Blemyes inter populos illos arcanos referat, qui capite privati, os oculosque in pectore gerant. Cui fabulae Acephalorum, ex Martiano Capella, totum medium aevum credidit.

Ad historiam vero revertamur: a medio, ut diximus, tertio saeculo Blemyum tribus Dodecaschoenum, provinciam Aegypti meridianam, magis magisque depopulari coeperunt. Sedibus enim avitis cedere sensim cogebantur novo quodam imperio, Axumitarum nempe, quod I p. Ch. saeculo conditum brevi Rubri Maris litoribus a Moschophagis — ubi nunc Suacinus portus exstat — usque ad Somalias potitum est. Quo factum ut Blemyes, qui antea commeatum inter Nilum mareque in viis dominati essent, subito redivitibus suetis spoliarentur. Exstat etiam nunc titulus triumphalis regis cujusdam Axumitae saeculi IV, qui sex Blemyum regulos se subegisse gloriatur. Blemyes itaque ad Romanorum fines exacti, Aegyptios perpetuo lacescentes illos tam foedis cladibus nonnumquam adfecere ut eorum nomen idem quod nobis «barbarus» vel «Vandalus» valeret.

Qui nunc victores nunc victi per tria saecula numquam ab armis conquieverunt. Aurelianus imperator (270-75) illius populi captivos Romam in triumphum duxit. At Diocletianus non multum ante annum 300, ut Aegyptum a Blemyis tutaretur, Dodecaschoenum provinciam Nobadibus, quibus cum foedus icerat, permisit. Ambobus insuper populis tributum annuum se soluturum esse pollicitus est. Parum tamen Romani profecerunt: iterum iterumque, Constantino Theodosio Valentiniano regnantibus, aut ipsi aut Nobades socii a feris illis eremicolis vexati sunt. Horum tumultuum testis est epistula ab Appione Syenitarum episcopo Theodosio I imperatori (378-395) missa ut milites tandem mittere vellet qui populo afflicto succurrerent; testis etiam carmen epicum saeculo V de victoria Germani cujusdam conditum; testis denique bellum in centum annos a Maximino Marciani imperatoris praefecto anno 452 compositum, mox vero a Blemyis redintegratum.

Paucis verum ut videtur decenniis post, a Nobadibus Romanorum sociis graviter contusi sunt. Est enim Talmi in capite Blemyum³ titulus vetustissimus quo rex quidam Nobaeus, Silco nomine, victoria de iis parta gloriatur. Quam inscriptionem, graeca lingua valde mendosa nimisque copticam redolenti exaratam, ita latine vertere conatus sum, paucis ad intellectum necessariis inter uncus rotundos additis.

•Ego Silco, regulus Nobadum et omnium Aethiopum,
 •veni Talmin et Taphin. Bis bellavi cum Blemyis, et
 •Deus dedit mihi victoriam. Postea tertium vici iterum et
 •potitus sum urbibus eorum. (Ibi) consedi cum copiis meis
 •primum. Vici eos et ii agnoverunt me (regem). Feci pa-
 •cem cum iis et abjuraverunt mihi idola eorum, et fisus
 •sum juri jurando eorum, quoniam honesti sunt homines.

•Redii in partes meas superiores. Cum factus essem
 •regulus, omnino non incedebam post alios reges, at valde
 •iis praecedebam. Qui enim mihi aemulantur, iis non
 •concedo regionem suam retinere, nisi me agnoverunt et
 •supplicant. Ego enim in superiores partes (sicut) leo
 •sum, et in inferiores partes (sicut) ursus sum.

•Bellavi cum Blemyis ab (urbe) Primi usque ad Tel-
 •min semel; et eorum (qui) ultra Nobades (sunt) vastavi
 •fines, quia mihi aemulaturi erant.

•Despotas aliorum populorum, qui mihi aemulantur,
 •(ubi a me capti sunt), non permitto consistere in um-
 •bra, sed sub sole foris; et non dedi aquam intus in
 •domum eorum. Adversariis autem meis eripio uxores et
 •liberos.

Hic rex fuerit christianus necne disputatur; at eum rebus suis gestis nimis superbire patet. Nam quae dicit se omnes Aethiopes in sua ditione habere mera sunt mendacia. Nec Blemyes ab eo ita profligati sunt ut eorum regnum stirpitus everteretur. Nam haud multo post Aegypti provincias iterum occupasse Romanisque tributum exegisse videntur. Haec enim Characheni reguli decretum testatur, quod decretum in corio oryginio scriptum et lingua graeca corruptissima exaratum, anno 1887 rusticus quidam Aegyptius invenit Pathyri in oppidulo quod Graeci Aphroditopolin, indigenae Arabici Gebelein vocare solent. Situm est in ripa Nili fluminis ad gr. 25° 30' latitudinis septentrionalis.

Charachen autem rex, nobis porro ignotus, ita edixit:

3. nunc Kalabscheh, quo loco Tropicus Cancrī Nilum flumen secat.

•Ego Charachen regulus Blemyum scribo liberis Chara-
 •chen, Charapatchur et Charaziet, quod jubeo et (vobis)
 •dari curatoriam insulae dictae Tanare, et nemo jubetur
 •obstare vobis. Quodsi mala fide agunt Romes (et) non
 •solvunt (tributum) consuetum, phylarchus non impedi-
 •tur nec hypotyranus superare Romes donec consuetum
 •praestetur insulae meae.

•Charachen regulus o-

•Laize domesticus, testis m

•Tiuticna domesticus, testis +

•+ Per me, Sansnos, scriptum est, mense Phaophi 24, indictionis I.

Inimicitias autem inter Romanos ferosque illos Nigros a saeculo IV religionis insuper discrimine exacerbatas esse compertum habemus. Nam Aegyptii, mox etiam Nobades, ad christianam religionem sese converterunt. Blemyes vero idololatriae studiosissimi diu manebant ut, cum incolae Philarum — quae est insula Nili fluminis Romana — christiani jamdudum essent facti, illi nihilominus Isin deam in templo insulae vetustissimo colere perseverarent: transitum enim sacerdotibus paganis in territorium romanum, quotiescumque de pace ageretur, Blemyes depeciscebantur. Cui rei ut finem imponeret, Justinianus imperator clarissimus anno 545 Narsen praefectum cum exercitu misit. Qui Blemyes tandem celeriter funditusque profligatos ex Aegypto fugavit in desertaque Nubica relegavit. Superstites postea christiani sensim facti tranquilliores vivebant dum saeculis septimo octavoque incur- sione Arabum submergerentur. Ultimis illis temporibus etiam negotia inter se Aegyptii Blemyesque pacifice gessisse videntur: nam saeculo VI vel VII Latopoli ⁴ Dioscorus quidam habitabat «scriba populi Blemmei a commerciis».

Haec de hujus populi historia hactenus. De ejus insuper vita moribus- que paucula quaedam innotuerunt. Pergamus itaque, Olympiodoro duce, ad fines Nubiae.

Refert ille historicus, cum apud Thebas — quod est caput Aegypti me- ridionalis — et Syenen lustrandorum locorum cognoscendique studio versa- retur, phylarchos et prophetas Blemyum ipsius optasse congressum atque colloquium. Fama enim ejus, qui aulicus erat Constantinopolitanus, illos ad hoc excitabat.

•Itaque abriperunt me, inquit, in ipsam usque Talmin, ut illas quoque regiones perlustrarem, a Philis quinque dierum intervallo distantes usque ad urbem quae dicitur Prima. Haec olim prima Thebaidis urbs erat a barbarico solo proficiscenti, eamque ob causam a Romanis latino vocabulo Prima nomi-

4. nunc Esneh.

nata (!), quo etiam nunc nomine vocitatur, quamvis longo jam tempore barbari eam sibi vindicarint cum aliis quattuor oppidis, Phoenicone, Chiride, Thapide et Talmide ⁵.

Haec Olympiodorus. Patet igitur regni Blemyum magistratus titulis graecis decorari. Provinciarum enim curatoria, ut ipsorum verbis utamur, phylarchis hypotyranisque permittitur. Sunt etiam prophetae sive vates illi, qui Olympiodorum ad smaragdi fodinas, si quidem bonam huic rei regis veniam impetraret, inspiciendas invitarunt.

Nihil itaque mirandum quod Blemyum reges vel potius regulos, Caesares quasi semibarbaros, Talmi moribus graecis perquam leviter tinctos aulam Byzantini regni lautissimam quodammodo imitantes reperimus: aulicos romana voce «domesticos» appellant, eosque testes actorum publicorum adhibent. Graeca lingua, quam vix primis attigisse labris videntur, decreta tamen exarari volunt. Cum vero popularium nemo sit, qui eam linguam calleat, scribe aegyptii accessendi sunt: qui decreta regia e Blemyensi, ope coptici nativi sermonis, in graecum vertentes, horridula quaedam tersioribus efficiunt auribus. Hoc forsitan modo ii reguli se «Regis regum ⁶» gloriae paululo propius accessuros esse sperant.

Unam tamen rem Blemys graecissans propriam tenet, quae est religio. Etenim vana idola abjurare et ad veram transire christianam ecclesiam pervicax hic populus diutissime respuit. At contra Talmis urbs splendido Mandulis sive Solis dei templo ornatur. Quem deum Blemyes victimis humanis placare solent.

Mandulin vero Graecos quoque Romanosque, quamdiu hanc urbem obtinerent, maxime coluisse permultis templi titulis parietariis testatur. Hunc

5. Ne erraveris, moneo Olympiodorum loqui de conditionibus post-diocletianis, quo tempore Blemyes ad septemtrionis progressi, Dodecaschoeni partem in dextra Nili ripa sitam habitabant.

Dodecaschoenus appellatur regio supra primam Nili cataractam a Syene ad Hieran Sycaminum; haec regionem Petronius, Augusti Caesaris praefectus, anno 22 a. Ch. imperio romano vindicavit, Candace regina Meroitica — cui tum Blemyes obtemperabant — expulsa.

A Syene Nilo subvehenti hae urbes sunt: Tzitzis, Taphis, Talmis (post Diocletianum caput Blemyum), Pselcis (=Dakkeh), Hierasycaminus. Ultra hanc tandem Primis vel Premnis (=Kasr Ibrim), qua in urbe Petronius castra a Romanis ultima, ab Aethiopibus vero «prima» posuit.

Phoenico tandem oasis est inter Nilum Mareque Rubrum, 50 chiliometra a Thebis ad eoö-caecian.

6. Rex Regum titulus erat trium Imperatorum majorum: Byzantini, Persici et Axumitae. Exempli gratia adfero inscriptionem regis cuiusdam Axumitarum, saeculo II vel III conditam (Preistgke, *Sammelbuch* n° 6048).

•Rex e regibus Axumitarum magnus Se(m)bruthes venit et aedificavit.

•Anno XXIV Sembruthis magni regis.

enim Apollinem esse credebant. Cujus venerationis testem juvat hic adferre exemplum προσκυνήματος romanorum militum ⁷:

- Votum Longini et Aphrodatis equitum cohortis Hispano-
- rum, turmae Flori, et Dioscoratis et Antonatis et omnium
- heic consistentium Domino Manduli, hodie (mensis)
- Thot (die) I.

Praeter vota hujus generis permulta hymni aliquot in templo reperti sunt. Quorum unus hic est:

- Radians Domine Manduli, Titan, Beate! cum aliqua tui
- signa splendida vidissem, cogitavi et meditatus sum
- valde, pro certo scire cupiens an esses tu Sol. Alienum
- me feci ab omni malitia et impietate, et vixi castus ad
- multum tempus, pietatis divinae causa. Sacrificavi et
- oculis suspexi. Benevolus enim ostendisti mihi teipsum
- in cymba aurea...

(visionis descriptio interiit)

- Tum te cognovi, Manduli, Solem omnituentem Domi-
- num, omnium regem, aeternum omnipotentem felicissi-
- morum populorum habitantium sacram, quam Mandulis
- Sol diligit, Talmin: quae est sub sceptro auricomae mil-
- lenominis Isidis».

Ad hanc Isidem, magnam Aegypti Blemyumque alteram deam, rite colendam sacerdotes Blemyum quotannis Philas in fines Romanorum peregrinantur deaque imaginem pompa sollemni per omnem regionem — etiamtum cum essent facti christiani Romani— cantantes circumferunt. Huic consuetudini paganae neminem ante Justinianum finem imponere potuisse supra demonstravimus.

Honorum tandem, quibus pontifices a rege cumulantur, vestigium superest in isto cujusdam reguli decreto Pathyri reperto:

- Ego Pacytimne illustris regulus (ad)scribo Poaeo nobi-
- lissimo sacerdoti curatoriam insulae Temsir, dictae Ta-
- nare. Dedi tibi proprie ab hoc tempore et in omne
- semper tempus, et sunt mihi omnia sicut supra scrip-
- tum est.
- Per me scriptum est, (-)onem scribam. Athyr XXIII,
- Indict. XIV.

At hi tam pervicaci superstitione obstricti idololatrae miram quantam tolerantiam religiosam erga ceteros observant. Nam inter aulicos non tantum christianos adlegunt, verum iis etiam concedunt ut chrismon sive crucis signum in actis reglis juxta nomen apponant.

Scripserunt Antverpiae: J. IJSEWIJN et JACOBS

7. Plerosque hujus templi textus collegit PREISIGKE, *Sammelbuch Griechischer Urkunden aus Aegypten*, I n° 4122-28 et 45 0.

QUAE SIT NOSTRA AETATE CONDICIO ARTIUM BONARUM

Philologi si ad maestitiam inclinant, facile adduci possint, ut, quemadmodum olim Erasmus «Querelam Pacis», sic ipsi hodie scribant «Querelam artium bonarum», quas liberales quoque, optimas, ingenuas vocari neminem fugit. Regnant nunc physici et chemici. Disiciuntur nuclei atomorum, quarum formas Leucippus et Democritus tantum per nebulam quandam vel per transennam strictim aspexerunt¹. Inveniuntur paene singulis diebus novae machinae, quibus, quod Horatius² translatis verbis dixit, ad effectum perducamus, id est caelum petamus ipsum. Ingentes fecit progressus ars medicorum, qui non solum novis medicamentis morbos gravissimos et antea desperatos sanant, sed etiam cultris suis in cerebrum, in cor, in pulmones penetrant. His et similibus nuntiis, ut res civiles publicasque silentio praeteream, cottidie aures nostrae circumsonant³, cum perraro in actis diurnis aliquid de nostris disciplinis legamus, nisi forte fabula aliqua veterum tragicorum vel comicorum auribus horum hominum aptata in scaenam committitur, aut poeta aliquis argumentum e Graecorum Romanorumve fabulis aut rebus gestis depromptum tractavit.

Multis jam saeculis bonae artes variis de causis, quas hic enumerare, longum est, neglectae jacuerunt. Sed nostra memoria imprimis dolendum est, quod plebecula, quae disciplinarum progressu, quasi ipsa eum fecisset, gloriari solet, ne hoc quidem scit omnium artium fundamenta a Graecis jacta et a Romanis nobis esse tradita. Quod nisi ita esset, non tam saepe parentes interrogarent: «Quorsum filioli nostri coguntur graece et latine discere?» Obliviscuntur isti homines se ipsos cottidie vocabulis maxime communibus uti, quae a veteribus linguis profecta sunt, velut *Industrie Maschine, Auto*. Obliviscuntur in actis diurnis sescenta vocabula peregrina usurpari, ut *Koexistenz, Integration, Existentialismus, Kommunismus* etc. Obliviscuntur physici, medicis, mathematicis verba graeca et latina opus esse, ut ab hominibus aliarum gentium intellegantur. Sed audiamus philologum quendam doctissimum de praestantia veterum linguarum disserentem. Theodorus Kock, is, qui Goethei Iphigeniam Tauricam tanta arte in graecum sermonem convertit⁴, ut alterum Sophoclem vel Euripidem audire tibi videaris, in prooemio hujus libelli cum alia tum haec scripsit: «Mortuas vocant veterum linguas, in quibus adhuc summa vigeat vis et alacritas, quarum et hodie exstant et per omnia saecula mensura sint pulcherrima praeclarissimorum ingeniorum monumenta, quae non solum ipsae quamvis obscuratae ad tempus et contem-

1. Cf. Cic. *De orat.* 1, 162.

2. *Carm.* 1 3, 38.

3. Cic. *De off.* 3, 5.

4. Berolini MDCCCLXI (= Berlin 1861).

tae reviviscant, sed etiam gentibus non magis feris et barbaris quam supra modum excultis eoque enervatis alterum, ut ita dicam, afferant florem adulescentiae». At multi saepe clamitant e studiis, quae vocantur, humanitatis nullos redundare fructus nec singulis hominibus nec rei publicae. Nihil attinere pueros juvenesque multo sudore operam dare linguis absoletis et rebus, quarum cognitio in omni vita nullam allatura sit utilitatem. Quid istis respondebimus? Nolo hic multis verbis demonstrare, quantum valeant veteres linguae ad mentem, quam a natura incohatam accepimus, excolendam atque perpoliendam. Ipsam spectemus utilitatem, quam isti semper in ore habent. Omnes enim artes, quae nostra memoria mirum quantum excultae sunt, radices habent in operibus veterum Graecorum et Romanorum. Rectissime quondam Augustus Boeckh, clarissimus ille philologus, hac de re haec fere scripsit ⁵: «Etiamnunc nemo verus philosophus fiet, nisi historiam totius philosophiae inde ab ipsis initiis cognoverit et in suum usum converterit. Etiamnunc opera veterum poetarum omnibus aliis sunt superiora, id quod ii tantum non intellegunt, qui illa non gustaverunt nisi primoribus labris. Etiamnunc nusquam altior quam veterum viget spiritus. Etiamnunc rationes juris continentur jure romano, quamvis multae ejus partes mutatae sint. Quis medicus, si rudes empiricos excipias, veteres contemnet? Quid plura? Innumerabilibus vinculis haec nostra eruditio cum veterum disciplinis colligata est!». Et Johannes Paulus Richter (1763-1825), fabularum romanensium scriptor clarissimus, jam pridem monuit fore, ut adulescentes in altissimam barbariei voraginem delaberentur, nisi, antequam in tumultuosum mercatum communis vitae venirent, per tranquillum templum antiquitatis ducerentur.

Summopere igitur optandum est primum, ne numerus gymnasiorum minuatur, deinde, ne in gymnasiis ipsis numerus minuatur horarum, quibus graece et latine discitur. Suo jure autem Vaticana Congregatio Studiorum mense Octobri anni MCMLVII omnes episcopos monuit, ut caveant, ne alumni, qui vocantur, studium linguae latinae neglegant, nam sine scientia hujus linguae ait nec philosophiam nec theologiam recte intellegi discique posse ⁶. Denique non sunt sua laude fraudandi illi bibliopolae (redemptores), qui in Germania, Francogallia, Britannia veterum opera sic edunt, ut verbis graecis latinisve e regione interpretatio sermone patrio facta respondeat. Hac enim sola ratione fieri potest, ut etiam homines de plebe aliqua quidem ex parte intellegere incipiant, cur illas linguas tam magni aestimemus.

JOH. CAROLUS PULCHRIMONTANUS
(SCHOENBERGER)

Dilinga ad Danubium sita, mense Sept. a. MCMLVIII.

5. *Encyklopaedie und Methodologie der philologischen Wissenschaften*, Leipzig 1886, p. 31 sq.

6. *De Latina Lingua rite excolenda*, Epist. ad Excellentissimos Locorum Ordinarios d. d. 27 oct. 1957, *Acta Apostolicae Sedis* 50 (1958) 292-296.

Cf. haec monumenta: Sacra Congregatio de Seminariis et studiorum Universitatibus: Summorum Pontificum tum de humanioribus (*melius: liberalibus*) litteris cum praesertim de lingua latina documenta praecipua, Romae MCMLVII.

DEMETRIUS ALEXANDRINUS

(c. 110 – c. 180)

Demetrius librum «De Elocutione» scripsit; fuitque amicus et discipulus Favorini (c. 85 - c. 165) Arelatensis; qui Favorinus vir doctissimus et eloquentissimus habebatur atque graece semper loquebatur et scribebat: idemque litteris, philosophia, facundia valde praestabat aequalibus, cuius institutione philosophiae et artis dicendi Demetrius utebatur (cf. *Galenus* 14, 627. 629 KUEHN). Vestigia «logicae» et «methodi scientificae» in illo opusculo «De Elocutione» Demetrii inveniri possunt; qui liber in duas partes dividitur, quarum prior et minor 1-35 de colo, commate, periodo (= de quantitate sententiarum) agit, posterior autem et multo major pars 36-304 de quattuor generibus dicendi (= de qualitate sermonis) disputat: ut jam ex his duabus categoriis (quantitate et qualitate) patet, auctor divisionibus logicis in hoc opere niti conatur, id quod sequenti tractatione amplius demonstrabitur.

ARS COGITANDI

Quae *Aristotelis* «Organo» ample explanatur, paucis vocibus apud Demetrium contrahitur.

διάνοια 2. 3. 9. 30. 173 est sententia, quae colon vel comma vel periodum efficit (sententia = *Gedanke*).

διανόημα 30. 239 est sententia (= *Gedanke*).

διάνοια 17 intellectus vel operatio intellegendi.

ἐννοέομαι 21 notionem vel intellegentiam alicujus rei efficio.

ἐπινοέω 84. 169 animum attendo ad rem.

ὑπονόεω 100. 103 sententiam subdole occultatam dico.

DEFINITIO

Haec summi momenti apud omnes antiquitatis magistros fuit fundamentum cufusvis doctrinae.

ὀρίζομαι 9. 11. 34. 106. 173 definitio; naturam alicujus rei brevissime describo.

ὁρος 34 definitio (sententiam plenam et perfectam complectitur, non modo genus proximum una cum differentia specifica).

πράγμα 231. 296 id quod sententia (non uno verbo) continetur.
 περὶ οὗ πρόκειται 59 propositum vel objectum disputationis vel res quae
 agitur.

PRAEDICABILIA

Conceptuum ordinem logicum indicant; sunt qualitates internae rerum.
 γένος 19 significat hoc loco idem ac speciem (*especie*, hisp., *Art*, germ.).
 καθόλου 32. 108 «universaliter» pertinet ad genus.
 ὡς ἐν τύπῳ εἰπεῖν 220 τύπος indicat aliquid universale.
 εἶδος 21. 38. 98. 109. 136. 162 est species, quae minore extensione
 atque circuitu subest generi ampliori et universali.
 διαφορά 33 differentia diversas res ostendit.
 διαφέρω 30. 163. 164. 168 differo.
 ἴδιον 2. 297 proprium est id quod non omnibus, sed electis et speciali-
 bus distinctisque (rebus vel hominibus) convenit.
 συμβεβηχός 33 accidens id vocatur, quod non est necessarium, sed for-
 tuitum.

DIVISIO

Maxime ad ordinem rerum perspicuum pertinet; quae divisio genus in
 complures species secernit et extensionem conceptus articulatim distinguit.

διπλοῦς 61 duplex (et mixtus).
 διττός 131 duplex.
 ἡ μὲν-ἡ δὲ 106 altera - altera.
 τριπλοῦς 268 triplex.
 τρία 10. 19. 38. 240 tria.
 τρίτος 282 tertius (post: primum, secundum...).
 τὸ μὲν-τὸ δὲ-τὸ μεταξύ 294 primum, tertium, secundum.
 τέτταρες 36 quattuor (= enumeratio specierum).
 τετραχῶς 116 in quattuor partes, quadrifariam.

JUDICIUM

Affirmationem (consensum mentis) aut negationem (contradictionem
 intellectus) exprimit.

λόγος 37 opinio (sententia).
 ὑπολαμβάνω 68 arbitror, opinor.
 ἀποφαίνομαι 296 effor, eloquor.

κατηγορέω 296 dico, enuntio.

ὑποθετικῶς 296 modo praeepti dictum, ratione adhortationis dictum.

ἐρώτησις 297 quaestio.

Dictum de omni et Dictum de nullo, quod utrumque sensu logico in arte dialecticae usurpatur, a Demetrio solum notione rhetorica ut epiphonema adhibetur; vocibus πᾶς (7. 60. 98. 100. 125. 194. 208. 219. 283) et ἀεί (52) sententia generalis affirmativa exprimitur; voce οὐδεὶς (132) universalis sententia negativa enuntiatur.

RATIOCINIUM

Ex duobus iudiciis praemissis novum iudicium (= conclusionem) format.

συλλογίζεσθαι 32 ratiocinor.

συλλογισμός 32 ratiocinium tribus sententiis confectum.

ἀτελής 32 imperfectus (i. e. syllogismus); videtur notio Stoica esse.

ἀκολουθία 30 consequentia e duabus praemissis sententiis.

ἀκολουθοῦσ ἀὐτῷ 153 ex se ipso consequens, sibi ipsi consentiens.

μάχη 30 repugnantia duarum sententiarum contrariarum.

ἐνθύμημα 30. 31. 32. 109 enthymema = ratiocinium incompletum et breviter effectum.

σημείον 31. 108. 244. 301 signum (cui opponitur argumentum).

παράδειγμα 8. 12. 18. 39. 51. 182. 194. 198. 241. 246. 256. 266. 267. 280. 291 exemplum ut species quaedam demonstrationis.

εἰκός 100. 302 veri simile, probabile.

ἀποδείκνυμι 233 demonstro.

ἀπόδειξις 109. 233 demonstratio.

σόφισμα 231 fallacia.

DE ARTE CRITICAE

Sufficit dicere: critica est usus iudicii practici in unaquaque scientia.

τέχνη 27 ars, qua praeepta disciplinae continentur.

διδασκαλία 9 disciplinae institutio.

περισσοτεχνία 247 artificium immoderatum, nimia ars.

καοτεχνία 27. 247 artis negligentia.

καοτεχνέω 28. 250 artem negligenter adhibeo.

παρατεχνολογέω 178 praeter artem dicta adjungo.

κανών 87 norma, regula.

θεώρημα 199 praeeptum.

σκέπτομαι 69 examino.
δοκιμάζω 15. 200 approbo.
ἀποδοκιμάζω 200 reprobō, improbo.
ἐπιτιμάω 214 vitupero, objurgo vitium.

Ex hac vocabulorum enumeratione nonnullae animadversiones deduci possunt; Demetrii liber eodem nomine atque Aristotelis opusculum περὶ ἑρμηνείας inscribitur et quasi per imitationem disciplinam Peripateticam ostendit et colorem philosophicum offert; claram rerum dispositionem scriptor sequitur virtutibusque dicendi vitia ita opponit ut philosophus virtutibus vitae moralis vitia contraria objicit; Demetrius non grammaticus videtur esse, quia non opus alterius scriptoris explicat, immo propria ratione totum libellum composuit (rebus structurae periodicae atque ornatui verborum accommodatis); eandem regulam et normam auctor ipse persequitur quae cap. 17 hujus libri ita legitur: ἡ σαφὴς φράσις πολὺ φῶς παρέχει ταῖς νῶν ἀκούοντων διανοίαις = «perspicua enuntiatio multum lucis praebet intellectibus audientium»; vox index mentis! Demetrii quoque ipsius virtutes dicendi ex libello recte cognoscuntur; perspicuitas (σαφήνεια), brevitās (συνομία), puritas sermonis consueti (ἑλληγισμός), simplicitas (ἀπλότης), lucidus ordo verborum (εὐταξία); praecepta urbane dicendi clare tradit semper ex rebus verba commoda et apta constituens; hoc modo Demetrius libellum utilissimum confecit, unde optime partes institutionis oratoriae graecae temporibus imperatorum romanorum exactae percipi possunt.

Cum Demetrius Favorini philosophi assecla fuerit et in opusculo illius rhetoris Alexandrini multis indiciis fons quidam Aristotelicus percipiatur, simul Favorinum quoque doctrina Peripatetica imbutum esse ex Demetrii scripto veri simillimum est.

Textum libri *De Elocutione* ediderunt.

Ludovicus RADERMACHER, *Demetrius* περὶ ἑρμηνείας (Lipsiae 1901);

Rhys ROBERTS, *Demetrius on style* (Cambridge 1902);

Rhys ROBERTS, *Demetrius on style* (London 1953, *Loeb Classical Library*, in volumine «*Aristotle*» the poetics).

AEMILIUS (EMIL) ORTH

CANTUS NIVALIS

*Frigora nos petimus fugientes frigore frigus,
Candidiore vocant nos iuga tecta nive.
Tendimus ad celsi glacialia culmina montis,
Frigus qui metuit, frigora sponte petat.
Nix cadit adsidue ventis borealibus acta
Puniceasque genas vortice rapta ferit.
Aggreditur faciem ludens haeretque capillis:
Alas candidulas mille volare putes.
Nacti summa nigras valles urbesque remotas
Pulvereadque vias cernimus inde procul.
Cuncta premunt late divina silentia montis:
Venas percipias ipse micare tuas.
Quidnam supra nos? Capiti Deus imminet unus;
Inferius nubes, plumbea strata, iacent.
O, vos quos cruciant urbanae taedia vitae,
Urbis si piguit, discite amare nives.
Vos quoque difficilis studium quos macerat artis,
Nocturnusque labor, discite amare nives.
Vel si despecti nimis angit vulnus amoris
Torquent et curae, discite amare nives.
Corpore si valido, si pectore vivere puro
Natura ipsa docet, discite amare nives.
Longis aptatis, ubi calceus artior haeret
Ex ligno soleis, linquere celsa libet.
Per glaciem celeres ad valles labimur imas,
Acclivis montis nix tegit alta latus.
Quid non praetereat libratum pondere corpus?
Praeterit et borean, sit licet ille celer.
Jam caput advolvit gelido nix percita nimbo,
Oscula dant venti frigida, terra fugit.
Terreat insuetas aures vox sibila venti;
Pergite; non animis ista procella furit.
Ecce silent subito nimbi boreasque resedit:
Sopiti montis nunc tacuere iuga;
Dum regit alta quies ventos nec silva remugit,
Leniter illa cadit candida, muta dea.*

De Pio Papa XII 'anecdoton'

Cum luctu totius orbis terrae Pius Papa XII mense octobri longi pontificatus et longae aetatis suae supremum clausit diem. Sed plerosque puto nescire pontificatum tam illustrem nullum futurum fuisse, nisi unus fuisset fortissimus juvenis, Alfredus Nickel. Id quale fuerit placuit latine renarrare, quod Schröngamer-Heimdal, florentissimus Bavariae scriptor, germanice narrat in Folio Dioecesano Ratisbonensi, hujus ipsius anni numero decimo et 15 pagina. Is rem inscripsit: *Papa ornatus barba rupicaprina*. Et praefatur Deum saepe, quae decreverit fieri, admirandis providentiae suae viis exsequi. Sic in fine superioris belli gentium per militem Bavarum ex acie vixdum reversum vitam servavisse illi Nuntio Apostolico, qui futurus esset Pius, Romanus Pontifex XII, nam eum barba rupicaprina occultatum, eductum esse e manibus Spartacorum tum in urbe Monachio debacchantium. Rem sic narrat:

Servator ille, cum solutus militia domum rediret, ad Resiam prius divertit, sponsam suam, tum ancillantem in inlustri taberna deversoria «ad Schommergarten», ubi Spartacani sedem collocaverant et nefaria scelera concipiebant. Qui in primis petebant viros dignitate ecclesiastica insignes; hos, «ut atratos fratres» ex infelici arbore suspendendos esse. Et cum se solos esse crederent liberrime jactabant minas nihil caventes a simplicitate Resiae, ciborum et potionum portatricis. Eo etiam attentius illa auscultabat sceleratorum sermones, quibus intellegebat praeter ceteros Eugenium Pacelli, pontificium Nuntium, peti, hunc primum suspendio tollere velle.

Itaque, cum ad eam ex insperato venisset Alfredus, carissimus sponsus, hunc obsecravit, honoratissimum Nuntium clam e sua domo eductum collocaret in tuto. Fiet, pol, mea Resia, inquit Alfredus, et recta tendit ad palatium Nuntii, seque infert concitatorum et tumultuantium turbis. Et principio quidem Alfredus, ne se proderet, cum insanientibus furens et atrociter invehens in nigram illam progeniem, ulnis sibi viam facit per tumultuantem multitudinem ad stabulum digamque Nuntii. Reperto autoraedario ostendit suum salutis afferendae consilium. Nulla interim spes fugae relinquitur, propterea quod Nuntii currus duplici praesidio custoditur. Postea, cum appetente jam nocte, gladiatorum convicia conticescerent, Alfredus cum autoraedario se insinuat in aedes Nuntii, arte et graviter dormientis. Excitatum jubent ad evitandum, quod immineret periculum, curtum induere vestitum provide ab Alfredo paratum, atque in capite ponere item allatum petasum Styrium rupicaprina undantem barba. Postremo Alfredus Nuntio amixit, ut in ea regione moris est, sabanum, neque quisquam quaesitor criminum suspi-

caturus erat eo vestitu tam scienter excogitato occultari Nuntium Summi Pontificis.

Sic caute inita ratione salutis, quod etiam restabat impedimentum superandum erat, removendi scilicet erant duo custodes autoraedae Apostolici Nuntii. Eos igitur Alfredus prompta audacia sternit, vincit, obturat, ne forte clamoribus intempestivis molesti essent — et jam festinat pontificia diga per vias sopitae urbis Monachii versus fines Bavariae, quo vectores pervenerunt incolumes. Nuntius Alfredi fortitudine et constantia tutus latet in Austria, quem censeo illis montanis hominibus admirationi fuisse et insolito vestitu et rupicaprina barba. Alfredus ipse, quoad Spartacani Monachii dominati sunt, mutare cogebatur, ubi lateret et dormiret, horrea. Nam magnum illi praemium proposuerant, si qui indicium faceret, ubi locorum «raptor sacrificuli» latitaret.

Alfredus et Resia jam longos annos felici juncti matrimonio ad lacum Brigantinum cauponam bene frequentem exercent, et Alfredi Nickel in ea regione illustre nomen est. Qui, quoties comiter et jucunde est, amicis ostendit numisma aureum catilli magnitudine, quo in privata audientia a Pio XII pro procurata salute donatus est. Sane quidem, priusquam Pontifex servatorium suum repperit, abierunt anni. Nam bonus Alfredus, ut homo Bavarus, non fuit bucinator facinoris sui, quod eum fecisse postea casu cognitum est.

Et haud scio an Beatissimus, etiam Pontifex Maximus factus, interdum subriserit recordatus de undanti illa barba rupicaprina, qua tectus potuerit fugere Monachio ex urbe tum rubra Bavariae.

ANDREAS AVENARIUS, S. V. D.

Non nulla hujus anecdoti verba quae difficiliora intellectu sunt sequenti epistula explicantur:

Andreas Avenarius Josepho Mirio, CMF. S. D.

Dedi ad te duas resculas, quas, si voles, facies «articulos» Palaestrae. Spero te non nimium turbatum iri novitate verborum, proprieque oro, ut «anecdoton» retineas, quia quae nostra lexica ponunt, minus clare rem significandam continent. «Anecdoton» video a Graecis sic adhiberi. Adhibetur a nobis Germanis, a vobis Hispanis, ab Italis, ab Anglis: est igitur ex eo numero vocum, quas ego ultro civitate latina donandas doceo. «Narratiuncula vel fabella» parum significant rem hic significandam. Et placet interdum manifestare non me recedere tam facile a legibus novandorum verborum eaque ratione, qua nos ad vitam reducere nitimur linguam latinam. «Anecdoton» in hodiernis linguis certam habet significationem, et totidem syllabis est in lexico Graeco Passowiano, et in vocabulario neograeco Langenscheidtiano. Vox, tametsi etymologic

convenit cum «inedito», in aliam tamen sententiam «ineditum» dicere videmur, in aliam «anecdota». Nam «ineditum» si edideris, non jam est ineditum, «anecdota» potest transcribi in omnium temporum libros et manet «anecdota». Sunt igitur voces internationales, quibus certa sententia adhaeret, quarum perdifficilis interpretatio est, quas ob hanc ipsam difficultatem, si sapimus, relinquimus quales sunt.

«Spartacani» vero qui sint ex Spartaco illo servorum duce certo scies. Hujus asseclae apud nos Spartakisten nominantur et nomen est eorum communistarum, quibus proposita est dominatio proletariatus. Perturbatoribus ordinis publici illorum annorum, quibus Monachus Nuntius erat futurus Pius XII, hoc nomen vulgo indebatur. Latine scribenti non dicendum erat «Spartacistarum» turmam voluisse interficere Nuntium, malui Spartacanos appellare viros Spartaci, ut Pompejanos, Caesarianos, Ciceronianos dicimus.

«Rupicapram» video a Plinio usurpari, vos gamuza appellatis, nos Gemse. E capra trahitur etiam «caprinus» adjectivum nomen: sic nascitur barba «rupicaprina». «Styria» est regio Austriae: Steiermark, cujus adjectivum apte esse possit «Styrius, a, um». De «sabano» te doceat Forcellinius. Nos dicimus Lodenmantel pallium factum e tela, quae lodix dicitur. Hic si melius videris, substitue sabano... — Tu cura ut valeas.

Josephus M. Mir, CMF. P. suo rev. Andreae Avenario sal. pl.

Quod Palaestrae Latinae legentibus illud donasti «anecdota» est quod gaudeamus tibi gratias habeamus. Ac de nova voce tecum in eandem convenio sententiam; quae ab aliis proponuntur vocabula non omnino rem nostram significant; nam hac voce quid addimus novi «narratiunculae, fabellae», a Mariano, Baccio altisque, propositis. Quod si interdum ad graecam adimus linguam quae nos verborum copia sustentet, quidni «anecdota» recipiamus praesertim cum sit rei aptissime inditum?

Alias quas conformasti voces plane probamus.

Fac valeas.

Barbastro, a. d. IV Calendas novembres, anno MCMLVIII.

De "clausura fulminea" iterum

Summo studio persecutus sum scitam subtilemque inter P. Mirium, hujus commentarii moderatorem aestimatissimum, atque popularem nostrum P. Caelestem Eichenseer ex O. S. B. de «clausura fulminea»¹ disputationem, qua me magnopere delectatum esse libenter agnosco. Eichenseer autem *clausuram tractilem* proposuerat, accepit Mirius et insuper *verticulas imbricatas* addidit, quae etiam Patri Eichenseer probabantur. Ut obiter animadvertam, jam anno MCMXXXVIII in *Alma Roma* p. 175 sub numero 11 rem Avenario benignissime adjuvante aggressus eram. Avenarius enim mihi *clausuram* aut *fibulam ductilem* seu *ductariam* subministraverat, quam vocem in praeconio laudato vulgavi. Equidem *Alma Roma* accepta, margini plumbo adscripti: *clausura fulminea*. Quae cum ita sint, haec pro re, quae anglice *zipper*, gallice *fermeture éclair*, germanice *Reissverschluss*, hispanice *cierre de cremallera*, italice *chiusura lampo* nuncupatur, praesto sunt nomina:

AVENARIUS: *clausura ductilis, clausura ductaria, fibula ductilis, fibula ductaria* (*Alma Roma*, 25 (1938) 175);

BACCI: *fulminea verticularum oclusio, rapidissima verticularum oclusio* (*Latinitas*, 5 (1957) 32);

EICHENSEER: *clausura tractilis* (*PALAESTRA LATINA*, 27 (1957) 86);

MIRIUS: *verticulae imbricatae* (*PALAESTRA LATINA*, 27 (1957) 89);

Ipse ego: *clausura fulminea*.

Atque cum in «clausura fulminea» animus verticulis *imbricatis* offensus sit, me mihi liceat immiscere negotio. Ut ingenue profitear, cum primum *verticulae imbricatae* in conspectum datae sunt, valde mihi placebant. Sed aliquo vespere, cum tuniculam scutulatam, quae verticularum rapido tractu occludi potest, uxore monente induerem, quia ictero superato facile obnoxius sum frigoris morbis, fulmineam illam clausuram accuratius contemplatus cognovi verticulas istas non *imbricatis*, sed *pectinatis* implicatas esse. Itaque in imbricatarum verticularum locum *verticulas pectinatas* puto esse substituendas. Haec de re in universum dicta sunt.

Jam venio ad singula. Est enim primum ventilanda quaestio, quidnam proprie sit *clausura* illa, de qua sermonem instituimus, *fulminea*. Utor autem rei expositione, quam praebet *Enciclopedia Universal Herder*, Barcinone a. 1954, p. 574. Quem tamen locum pro potestate sic latine contrahere placet. «Clausura» igitur «fulminea» est molitio metallica, in America Meridionali

1. *Fulmineus*: 1) proprie ad fulmen pertinens, 2) translate vehemens, rapidus, more fulminis agens.

inventa et jam ubique gentium usitata ad vestes, fundas, chartaria rapidissimo modo occludenda. Consistit vero in eo, ut denticuli peculiari arte instituti cuneo ambulatorii² porro trahendo pectinatim implicentur atque conecentur et cuneo retro agendo separentur». Ambulatorium autem habet hinc inde cavitatem cum labris prominentibus, per quam denticuli huc illuc aut sursum deorsum currunt. Ne vero verticulae e ductibus digrediantur, cavitas canaliculata munitur labris prominentibus et reduncis. Nihil igitur *imbricis* aut *imbricati* in re invenire possum. Quid est enim *imbrex*? «Fictile segmentum cylindri tegularum juncturis ita impositum, ut imbrem deducat». Haec habet *Thes. ling. lat.* Apud Forcellinum autem res sic procedit: «Imbrex est fictile segmentum cylindri, quod duarum tegularum labiis inter se junctis imponitur, ne imber per earundem intervalla in domum influat: differt a tegula, quae plana est et duo labia prominentia seu latera per longum hinc inde erecta habet. Prius eos supinos disponunt, alios pronos duobus supinis imponunt». *Imbricatus* porro est modum imbricis habens. Formatur praeterea adverbium *imbricatim* i. e. in modum imbricum apud Plinium *Hist. Nat.* 9, 103; «(de varietate concharum: distinctione ... canaliculatim, pectinatim divisa, imbricatim undata)». Imbricibus igitur imbrices imponuntur, ut *undata* appareat compages. Ejusmodi autem nihil in clausura tractili apparet. Immo vero denticuli verticularum, alius juxta alium, — non alius super alium insidens—, exiguo interjecto intervallo sunt dispositi, qui rapido tractu inter se pectinatim implectuntur. *Pectinatim* autem ex Forcellinio est «denticulata unius partis serie ita cum altera similiter denticulata coeunte, ut acumina non acuminibus, sed intervallis concurrant, ut in suturis calvariae videre est». Atque propter hanc ipsam verticularum duplicem pectinatam dispositionem suadeo, ut verticulae istae *pectinatae* dicantur, non *imbricatae*.

Tabernam proinde coriariam intrantes emamus pasceolos, qui *verticulis*, occluduntur *pectinatis*! Filium porro diem natalem agentem donemus chartario, quod occluditur *pectinatis verticulis*! Vestimenta demum nobis comparemus apud vestiarium, quae, cum *pectinatis verticulis* munita sint, facili et rapido modo occludi possunt!

Quam commentationem non composui, ut quicumque Mirio nostro detraham auctoritatis —in hac enim re valet illud: Amicus quidem Plato, sed magis amica veritas, si in re parva magnum adhibere exemplum liceat—, immo demonstrabam sermonem latinum hac quoque nostra aetate technica, uti ajunt, esse aptum, qui ubique gentium in hominum commercio suas expleat partes. Quod si assecutus ero in describenda re exili, quae constat e duabus verticularum denticularum seriebus, quae pectinatim implicantur

2. *Ambulatorium*, vox quidem serioris aetatis, cum adjectivum, quod est ambulatorius, jam apud Vitruvium et Plinium occurrat, tamen apta ad id significandum, quod Hispani *la corredera*, Germani *Schieber* nuncupant.

et ambulatili³ cuneo, prout inducitur aut reducitur, conectuntur atque separantur, quod quo commodius fiat, cuneus est instructus ansa, cui inhaeret capulus, verumtamen id mihi sane erit solacio et eis, qui idem sentiunt, spero fore oblectamento.

JOSEPHUS HOLZER
Saratudovicensis

Josephus M. Mir, C. M. F., Josepho Holzer, suavissimo amico, salutem.

Speras fore ut disputatio tua «de clausura fulminea» PALAESTRAM LATINAM legentibus solacio sit et oblectamento; idque in primis mihi fuit et est, neque verba tua, humanitatis urbanitatisque plena, me quicquam offendere possunt, cum non hominum laudes perquiramus, neque sententiam ita amemus nostram ut sociorum voces et iudicia, prudentiae plena —ut tua—, parvipendamus. Sed ut scientiae indagatores et exploratores verum ante omnia inquirimus et perscrutamur. Quod si ab amicis veritas proponitur, oculos perstringere nobis non licet, sed eos aperire ut lumen percipiamus eoque ducti veram scientiae viam insequamur; veritas enim se per se ipsam defendit, ut Cicero ait. Gratum igitur animum tibi, Patri Avenario, Patri Caelesti ceterisque qui opem suam ad res nostras latine exprimendas conferunt, vosque omnes hortamur ut, quam institulistis agendi rationem, studiose prosequamini.

Disputationem tuam omnino probo laudoque quod ita ex lexico illo hispanico HERDER rem totam hauseris et disquisieris; ibi enim res clare explicatur et adjecta descriptione et imagine facile percipitur. Tibi igitur prorsus assentior neque de «verticulis imbricatis» amplius loquamur sed «pectinatis», ut recte mones. «Verticulas imbricatas» proponere ausus sum quia his totam rem subtilius definiri arbitratus sum; neque te celabo cur haec supra allata verba proposuerim: scrupulo enim quodam puritatis «clausuram, clusuram» accipere vetabar et adhibere cum ad cadentem latinitatem vox pertineret; nunc autem cum totam iterum rem evolverem et perquirerem, illam quam Baccius in *Latinitate* proposuit «occlusionem» ad cadentem quoque latinitatem accedere comperi, et quanquam vox non est a lingua latina ableganda, tamen neque in lexico Forcelliniano neque in Freundiano invenitur. Re igitur satis abunde a te explicata et extricata «clausuram fulmineam» accipio...

Sed jam satis est. Te Tuosque Christus Dominus servet incolumes; valeatis.

Scribebam Barbastro, a. d. XVI kal. novembres, anno MCMLVIII.

3. *Ambulatis*: mobilis, non affixus.

Nos in schola latine loquimur

De nostra tradendae linguae latinae ratione magistri saepissime conqueruntur cum alumni parum in linguam latinam animos intendant, et quae Romanorum fuerit gloria et majoribus nostris «linguarum regina» in dies vilescat, parvi pendatur, in fastidio et odio sit.

Multimodis quidem docendi ratio renovetur oportet; sed cum novelli in primis magistri a nobis quaesissent ut specimen aliquod ad usum deductum proderemus quo schola vividior alumnis graviorque redderetur, facillimam proponimus fabellam quam aptam arbitramur qua cottidiana linguae latinae schola aliquando compleatur.

MULIER ET GALLINA

Mulier quaedam habebat gallinam, quae cottidie unum pariebat ovum.

Cum tamen uno ovo contenta non esset, largiorem cibum gallinae praebuit; sed gallina, pinguior facta, ova parere omnino desiit.

Haec fabula nos monet ne avidi simus.

Fabellam, pueri, audistis, quam vos omnes mente percipisse certo scio; gallinas saepe vidistis, fortasse vos quoque domi habetis easque mater sollicitate curat et pascit ut ova quam plurima gignant.

Sed ut fabella narrat, mulier unam in cohorte habebat gallinam. Hanc inspiciamus gallinam quae nobis aptum praebet argumentum hac latinitatis schola de gallinis fusius disserendi. Mente attendite ut novas voces intellegatis easque cottidiano sermone et usu deinde adhibeatis.

Gallinae, quod scitis, aliae sunt albae, aliae nigrae, aliae rubicundae; aliae vero mixti seu varii coloris, nam rubicundas aut fuscas habent plumas nigrasque pennas. Gallina habet alas¹, quibus expansis aliquantum volitat, et plumas², quibus totum ejus corpus tegitur, et pennas³ majores et crassiores, quae in alis et in cauda⁴ sunt. Gallina ergo est avis, volucris, ales.

Cum gallinis in gallinario⁵ est gallus, qui quidem pinguior et altior est quam gallina habetque cristam⁶ sublimem — erectam — et sanguineam seu

1 ala, ae, *ala*.


2 pluma, ae, *pluma, plumaje*.

3 penna, ae, *pluma (de las alas y de la cola)*.

4 cauda, ae, *cola*.

5 gallinarium, ii, *gallinero*.

6 crista, ae, *cresta*.



rubicundam; rostrum ⁷ breve et aduncum, jubam ⁸ varii coloris, caudam prominentem pennis ornatam.

Audistis saepe media nocte et interdiu gallum canentem: quo ille se quasi regem in cohorte ⁹ omnibus nuntiat semperque advigilare ut gallinas protegat, hostibus resistat, neque terreri unquam patiatur. Media nox cantus galli vocatur, id est gallicinium ¹⁰; gallus canit et cucurit ¹¹; gallina vero, praecipue postquam genuit, ovum glocit ¹² (*).

Gallus et gallinae, ut saepe vidistis, rostro pabula quaerunt et scrutantur; esculenta ¹³ omne genus voraciter edunt atque in ingluviem ¹⁴ recondunt quae deinde in ventrem immittunt. Sed optima gallinaria —ita mater vestra domi facit— gallinis hordeum ¹⁵, vicias ¹⁶, milium ¹⁷, zeam ¹⁸, furfurem ¹⁹ aqua subactum cum modica farina praebet ut pinguiores fiant et ova pariant.

Gallinae optimae notae ²⁰ fere cottidianum —exceptis maximi frigoris mensibus— pariunt ovum; quod putamine ²¹ albo et duro, ne facile effringatur,

7 rostrum, *i*, *pico*.

8 juba, *ae*, *plumaje del cuello*.

9 cohors, *ortis*, *corral*.

10 gallicinium, *ti*, *canto del gallo*.

11 cucurto, *is*, *tre*, *cacarear el gallo*.

12 glocio, *is*, *tre*, *cacarear la gallina; cloquzar*.

13 esculenta, *orum*, *comida*.

14 ingluvies, *ei*, *buche*.

15 hordeum, *i*, *cebada*.

16 vicia, *ae*, *arveja*.

17 milium, *ii*, *mtjo*.

18 zea *ae*, *maíz*.

19 furfur, *uris*, *salvado*.

20 optima nota, *calidad superior*.

21 putamen, *inis cáscara*.

(*) Sunt qui distinguunt: gallina *gracillat*; prius quam ova gignit, *glocit*, *glocitat*; postquam genuit ova, *singultit*.

obtegitur; intus est membranula quae albūmen²² et vitellum²³ seu luteum²⁴ involvit.

Ova subjiciuntur gallinae matrīci²⁵ incubanti; quae «plus vicena quina incubanda subici vetant»; et «vicesimo die jam viventis intra putamen vox auditur» (***) eodemque tempore pullus²⁶ plumescit²⁷ ac putāmen parvulo rostro perfōrat, et cum primum enatus est, pipiat²⁸ et sub matre nutricanti²⁹ alis confovetur.

Deinde crescens pullus esu optimus fit culinae et cocorum arte, nam in lautis conviviis gallus apponitur juvenicus³⁰ aut capus fartus³¹, quem mater-familias aut scissor³² cultro discerpit; ex convivis alii clunes³³ laudant, alii tergōra³⁴ et thorōcem³⁵; ii malunt de alis, illi de poplitibus³⁶ sumere.

Sed gallina fabulae «cottidie unum pariebat ovum». Magni quidem pretii gallina, neque tamen mulier illa gallinaria cottidiano contenta erat ovo. Vos in cenis saepe ova sumpsistis, quae multimodis parata mensis inferuntur³⁷. Si quando convivio interfuistis aut patris matrisve natalem domi egistis primum apponitur jus ex carne et ovis ad cribrum actis³⁸, aut ovi lutea in jure liquata³⁹; alias acetaria ovis commixta Russorum more⁴⁰, aut ova butyreo jure immersa⁴¹.

Sunt tamen pueri qui ovis frictis⁴² delectantur quibus panem saepe inungant, quod libentius faciunt cum ova sorbilīa⁴³ sunt: tunc mater mensis

22 albūmen, intis = candidum, i, clara.

23 vitellus, i, yema.

24 luteum, i, yema.

25 gallina matrīx, ictis, clueca.

26 pullus, i, pollito, pollo.

27 plumescio, is, ere, comenar a cubrirse de pluma.

28 pipio, as, are, piar.

29 nutricor, aris, ari, criar.

30 gallus juvenicus, pollo.

31 capus fartus, capón relleno.

32 scissor, oris, trinchante.

33 clunis, is, rabadilla.

34 tergus, ōris, espalda.

35 thorax, āctis, pechuga.

36 poples, ūtis, corva, pata.

37 inferre mensis, presentar a la mesa.

38 jus ex carne et ovis ad cribrum actis, caldo de carne y huevos pasados por el colador.

39 ovi lutea in jure liquata, yemas de huevo derretidas en salsa.

40 acetaria ovis commixta Russorum more, ensalada rusa.

41 ova butyreo jure immersa, huevos en salsa de manteca.

42 ovum frictum, huevo frito.

43 ova sorbilīa = (h)apāla, huevo pasado por agua.

(**) Ita Plinius, *Hist. Nat.* 10, 53, 149 (74), qui quidem multa de gallinis, de ovis, cet. narrat; cfr. remedia quae ex ovis hortatur conficienda *Hist. Nat.* 29, 3. 39 (11).

Antmadvertas, quaeso, non omnia quae apud Plinium, Columellam aliosque veteres et recentiores scriptores de gallinis ovisque legimus, nos hic proferre voluisse, sed praecipua tantum proponere alumnis vocabula quae ipsis utilissima sint aptamque loquendi praebeant materiam. — Non nulla alia in memoriam reducere potes: palea, ae: mamella; ventriculus, i: molleja; viscera, um: entrañas... cfr. etiam *Apparatus eruditionis* M. PEXENFELDER, I Valentiae 1798. p. 182.

infert pocilla ovaria ⁴⁴ quibus contineantur et sustineantur ova, quae pueri parvo cocleari ⁴⁵ pertundunt et supero putamine ablato sorbillant permixtum albūmen et luteum aut in his panem inungunt; alii vero ova in catino tosta ⁴⁶ amant. Quod si deambulationem vel rusticationem instituere vultis mater in theca frigidis servandis ⁴⁷ ova mixta cum spinaciis ⁴⁸ aut cum solani tuberibus parat ⁴⁹, aut ova indurata ⁵⁰, aut ova permixta gallico more ⁵¹.

Sed cum est multo labore fatigatus puer aut cum cibum fastidit mater ei ovum vino aut lacte et sacchāro conditum ⁵² sollicite parat.

Tandem ut quae ad gallinam referuntur perficiamus —nam totus hodie sermo ad eam pertinet— locutiones quas memoria teneatis, vobis propono.

«Ovum simile ovo» ⁵³ dicitur cum de rebus adeo similibus loquimur ut vix internosci queant.

«Ab ovo» ⁵⁴ dicimus aliquid ordiri cum a rerum initio cuncta subtiliter enarrantur.

«Ab ovo usque ad mala» ⁵⁵, id est ab initio cenae usque ad finem.

«Gallus in sterquilinio suo plurimum potest» ⁵⁶, de eo dicitur qui licet parvi sit animi et ingenii, domi tamen suae, id est apud se praevālet.

Cristam scitis apicem esse in vertice galli et gallinae, et «cristae dicuntur alicui surgere» ⁵⁷ cum sibi maxime placet et superbit.

Caudam habet gallina et «trahere caudam» ⁵⁸ est derisui esse alicui; nam pueri, quos irridere volunt, quiddam eis caudae simile appendere a tergo solent: quod, optimi pueri, ne unquam vos feceritis.

«Caudam vero jactare» ⁵⁹ est se speciosis agendi modis aliis venditare eorumque gratiam captare; locutio a pavonibus ducitur qui caudam curiosis insipientibus ostentant.

«Ab unguibus ad verticem» ⁶⁰ dicitur, id est ab imo ad summum. «A tenero autem ungui, a teneris unguiculis», hoc est a pueritia.

«Ad unguem» ⁶¹ perficiendum et castigandum carmen monuit Horatius;

44 pocillum ovarium, *huevera*.

45 coclear, aris = (h)apalare, is, *cuchara*.

46 ova in catino tosta, *huevos al plato*.

47 theca frigidis servandis, *flambrera*.

48 ova mixta cum spinaciis, *tortilla con espinacas*.

49 ova mixta cum solani tuberibus, *tortilla con patatas*.

50 ova indurata, *huevos duros*.

51 ova permixta gallico more, *tortilla a la francesa*.

52 ovum vino aut lacte et sacchāro conditum, *ponche*.

55 ovum simile ovo, *semejante como un huevo*

a otro huevo.

54 ab ovo, *desde el principio*.

55 ab ovo usque ad mala, *desde el principio (de la comida) hasta el fin*.

56 gallus in sterquilinio suo plurimum potest, *el gallo es rey en su corral*.

57 cristae alicui surgunt, *alzar, levantar la cresta*.

58 trahere caudam, *arrastrar la cola, llevar cola*

59 caudam jactare, *hacer la rueda; menear la cola (para halagar)*.

60 ab unguibus ad verticem, *de pies a cabeza, del principio al fin*.

61 ad unguem, *a perfección*.

quem Artis Poëticae locum memoria sane tenetis: «Carmen perfectum decies castigavit ad unguem» (294).

«Unguis transversus»⁶² de minimo spatio dicitur, ut est in illo aureo Ciceronis praecepto:

«A recta conscientia transversum unguem non oportet discedere» (*Ad. Att.* 13, 20, 4).

Illi «ungues arrodere»⁶³ dicuntur qui rem secum agitant, aut deliberant quid perficiendum quidve mutandum sit.

«Majores pennas nido extendere»⁶⁴ est elatius se extollere quam alicujus tenuitas patitur.

«Incidere pennas alicui»⁶⁵ est praecidere pennas seu alicujus animos submittere.

«Pennae alicui renasci»⁶⁶ dicuntur cum quis animo iterum viget.

«Pennas vertere»⁶⁷ est volando aufugere; «pennas quaterere in aëre» est pennas volando agitare.

«Homo levior quam pluma»⁶⁸ de illo dicitur qui summa est animi levitate.

«Albae gallinae filius»⁶⁹ est homo felix fortunatusque, cum gallinae albi coloris apud Romanos rariores essent.

Sed vobis pueris —et jam finem facimus— dulciaria in deliciis sunt; quae vos amatis, jam antiquis temporibus pueris romanis oblectamento fuerunt: in his liba⁷⁰, placentae⁷¹, scriblitae⁷², globi⁷³, suavilla⁷⁴, crustula⁷⁵, cupediae⁷⁶ omne genus, quibuscum ova saepe commiscentur.

Et jam Natalicia Domini festa adveniunt quibus gaudentes Servatorem in terras descendisse commemorabitis; hisque diebus ad focum vel ad laticonicum⁷⁷ sedentes —hiems enim urget— amygdalinos mellitosque lucuntes⁷⁸ maxima animi alacritate sumetis; hisque et aliis diebus lac et ova aromatatis condita⁷⁹, aestivo autem tempore lac ovaque gelata⁸⁰ et hujusmodi alia gustu dulcissima degustabitis.

62 unguis transversus, un punto, un ápice.

63 unguis arrodere, morderse las uñas; deliberar atentamente.

64 majores pennas nido extendere, subirse a mayores, sacar los pies de la alforja.

65 incidere pennas alicui, cortarle a uno las alas.

66 pennas alicui renasci, renacerle a uno las alas; reanimarse.

67 pennas vertere, marchar, volar.

68 homo levior quam pluma, más tornadoizo que una pluma, que una veleta.

69 albae gallinae filius, el hombre feliz.

70 libum, i, torta.

71 placenta, ae, tarta.

72 scriblita, ae, pasta, galleta.

73 globus, i, buñuelo.

74 suavillum, i, pastelillo delicado (de queso y miel).

75 crustulum, i, rosquilla.

76 cupedia, ae, golosina.

77 laticonicum, i, estufa.

78 amygdalini mellitique lucuntes, turrones.

79 lac et ova aromatatis condita, natilla.

80 lac ovaque gelata, helado (natilla helada).

Scisne quo modo vocetur qui gallinarum curam habet? — Ille, cui cura est de gallinis, gallinarius vocatur.

Vidisti aliquando gallinas? — Vidi saepius.

Ubi vidisti? — Domi meae.

Quo modo appellatur locus in quo gallinae custodiuntur? — Cohors aut gallinarium, et ideo gallinae sunt in gallinario.

Quo colore sunt gallinae? — Aliae sunt albae, aliae nigrae, aliae vero rubicundae, sed sunt et varii coloris.

Gallina estne avis? — Est avis quia habet alas, et omnes vidimus aliquando gallinas volitare.

Ex quo constant alae? — Alae habent multas pennas.

Quo contegitur totum gallinae corpus? — Plumis.

Quo pabula gallina quae tat? — Rostro. Et supra caput est crista, deinde cervices; sinus ille in quem gallinae demittunt escam prius quam in ventriculum recondant, ingluvies vocatur.

Quo constat ovum? — Constat praecipue putamine, albumine, vitello.

Scisne quo modo pulli enascantur? Ex ovis quae supponuntur gallinae matri.

Estne tibi aliquando pullus gallinaeus in cena appositus? — Saepius edi gallinam et pullum gallinaceum; poplites mihi sunt in delictis.

Placentne tibi ova? — Praecipue ovis frictis et ovis permixtis more gallico delector. Sed et cupedias amo, et spero propedtem matrem novas paraturam esse placentarum delicias.

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

PINUS PRINCIPATUM OBTINET

Me semper, plane dicam, multum juvat in maximis caloribus, cum sol incalescit atque vim aestus non facile patior, tempus, ut pastores vergiliani, sub patularum arborum umbra recubentem traducere.

Quodam die, paulo post meridiem —arrigite, pueri, aures et attendite—, laboribus matutinis defatigatus, acta diurna sumpsit iterque in silvam feci. Dum jucunde in herba recubans, in hebdomadaria recensione (*semanario*) legenda tempus consumebam eventaque Jacobelli cujusdam ridebam, aliqui juxta me, submissa voce, inter se colloqui visi sunt. Aures erexi atque —res vere mirabilis— audivi quasdam arbores, id est malum, tiliam, quercum pinumque colloquentes et contendentes quoniam earum principatum teneret. Disceptatio a malo orta est. Voce tenui perleviterque folia movens dixit: «Ego —ut jam multa abhinc hominum saecula Ovidius, praeclarissimus poeta de me praedicavit— sum «arbor... uberrima pomis», ex qua multa et «redolentia mala» pendent. Quare mei fructus et pueris et viris et feminis gratiores sunt quam quercus tiliaeque fructus, meaque umbra latior est quam tua, procera pinus; itaque diebus aestatis calidioribus gratam umbram, quam mea folia praebent et efficiunt, cuncti petunt».

Tum tilia quae, suspensis auribus, mali verba audierat: quare, inquit, umbram tuam tantis laudibus prosequeris? Ego multo latiore umbram praebeo; sub me molliter vaccae recubant, sub me capellae pascuntur, sub me tibiis pastores canunt et carmina recitant, sub me homines oblectamentum capiunt. Flosculi etiam mei jucundiores sunt quam tui nam mel dulcissimum continent quod pueris puellisque jucundius est malis tuis. Tandem agricolis sum perutilis, quia ligno meo ad juga fabricanda utuntur; nam merito Vergilius:

«Caeditur et tilia... jugo levis» (*Georg.* 1, 173) dixit.

Quercus postea, susurranti blandaque voce, ita se ipsam collaudavit: «Ego multo sum major et praeclarior quam vos! Nam nobilissimi qui in antiquitate floruerunt poetae, magnis me laudibus concinuerunt et magnopere praedicarunt. Nam Ovidius (*Fast.* 4, 953) et Vergilius (*Aen.* 3, 680) —amici mei dulcissimi— saepe in suis carminibus me laudibus sunt persecuti... Sed in iis quas mihi laudes tribuerunt illi scriptores et magnifica verba, Vergilius —acceptissimus mihi poeta— his me maximis ornavit:

«Qui juvenes!

umbrata gerunt civili tempora quercu» (*Aen.* 6, 772).

Nam vobis —si nondum, cari amici, scitis— sciendum est, temporibus illis quae aurea dicuntur, me cingere seu «redimere tempora» —haec sunt etiam Vergilii verba— maximum praemium fuisse et remunerationem, iis

civibus rependendam qui alium civem a morte eripuissent. Corona haec (quae «ob cives servatos» merebatur) auro confecta, idibus januariis, anno septingentesimo vicesimo septimo ab Urbe condita, a senatu Caesari Augusto, reipublicae patri et servatori, est imposita. Consulite, si vobis placet, Ovidium clarissimum poetam (*Fast.* 1, 614). Nolite ergo, arbores parvae, contendere. Nulla arbor principatu dignior est quam ego».

Denique pinus — formosissima et altissima arbor inter silvae arbores — virides ramos movens, «pauca de me, inquit, vobis narrabo :

Quamquam procera sum, quamquam nautae e ligno meo, plus quam e vestro, navigia fabricant, quibus in longinquas terras vela faciunt — legite si lubet, quae Vergilius (*Aen.* 10, 206) et Ovidius (*Met.* 17, 638) dixerunt —, quamquam ramis meis ad victorum tempora circumdanda Graeci Romanique olim etiam utebantur (consulite OVID. *Met.* 14, 637 et *Fast.* 1, 422), quamquam Cybēlae, deorum matri, et Dianae, venationis deae, et Pani, pastorum protectori deo, ego dicata et consecrata fueram, multo tamen jucundius mihi est quod homines die festo, quem in honorem Christi Nati celebrant, multis candelis et tintinnabulis et stellulis et donis et crotālis et crepundiis aliisque ornamentis argenteis me exornant atque magnifice decorant... Tum etiam pueri coram parentibus et fratribus etiamque coram me congregantur illudque concinunt carmen:

Dum silent —Nocte sacra— Cetera— Et tuo ¹	Quod prius —Nocte Sacra	Angeli— Nuntiant
Lecto Par tenerum vigilat:	Pastorum vigili populo,	
Somnus te placidus teneat,	Tota jam terra recinat:	
O Puella Deus— O Puella Deus.	En, Salvator adest! En, Salvator adest!	

Dum silent —Nocte sacra— Omnia: Gratia
 Jesu, ridet ab ore tuo;
 Nascens amissum reparas
 Caelum terrigenis, Caelum terrigenis.

Tum omnes plaudunt et gaudium et laetitia puerorum et puellarum major est quam si vos dona omnia vestra eis praebeatis.

Quibus auditis ceterae arbores pinum magnis laudibus decorarunt eique principatum omnes adjudicaverunt.

Haec sunt, pueri, quae illo die aestatis, sub umbra recubans, ab arboribus, submissa voce colloquentibus, ego audivi.

Nunc accipite: laetitiam et oblectamentum si vobis attuli animosque vestros relaxavi, magnum ex eo gaudium ego etiam percipio et in aliam diem aliam vobis fabellam promitto.

JESUS ARAMENDIA, C. M. F.

1. Est interpretatio illius carminis apud Germanos nobilissimi *Stille Nacht!*, *heilige Nacht!* quod P. Avenarius latine reddidit (cfr. *Palaestram Latinam*, 26 (1956) 30).

Spem alimus Consilii Latini

Prodeunt singulis mensibus in Germaniae oppido, cui nomen Dürkheim¹, commentariola adolescentibus studio linguae latinae deditis jocosa, jucunda, seria suppeditantia. Commentarium appellatur *Tiro*. In fasciculo octobris labentis anni 1958 rev. P. N. Mangeot, S. J. narrat de redintegratione sermonis hebraici in republica Israël suscepta. Et constat quidem Hebraeos usque ad saeculum antechristianum quartum locutos esse hebraice, deinde ad aramaicam dialectum inclinasse, eam scilicet linguam, qua utebantur, qui incolebant Mesopotamiam, Syriam, Palaestinam, relicto sermone hebraico antiquo «doctis viris» atque sacrorum librorum interpretibus. Paulatim talmudistarum «litteratura» orta est lingua quae «mischna» dicitur, medioaevalis sermo hebraicus, ex antiqua lingua hebraica et aramaica concretus. Sparsi per orbem Judaei utebantur et utuntur linguis ejus regionis in qua habitant, sed sacer sermo in scholis discitur et usurpatur in synagogis.

Nunc autem, ex quo constituta est respublica Israël, doctis illius gentis viris placuit unam communemque in republica hebraica adhiberi linguam eamque esse debere hebraicam linguam. Itaque mischnae-hebraicae linguae sequuntur grammaticam, sed ad condendum thesaurum verborum, quibus opus est de tot novis vitae hodiernae cotidianaque institutis et consuetudinibus, de tot rebus technicis tractantibus, in illa republica consilium delectum est idoneorum virorum, qui ex radicibus antiquorum nova procuderent vocabula, ubi hebraicae radices non essent, europaeorum linguarum introducerent vocabula, sed ita, ut servaretur, quantum posset, hebraici sermonis clangor. Haec igitur est lingua neohebraica, vitae hodiernae non minus accommoda quam quaelibet alia europaeorum linguarum. Hac lingua concinantur libri et ephemerides, haec lingua sola ferit aures eorum qui in viis et in publico inambulant, qui theatra et cinemata et publicos coetus frequentant, haec lingua in scholis discitur, haec scribitur in ostiis et fenestris negotiorum, in curribus et in aedificiis ferroviariis in tabernis et in divortiis viarum.

Si quis hodie, inquit P. N. Mangeot, inscriptiones neohebraicis typtis scriptas considerat, et omnes fere eadem lingua loquentes audit, facile intellegit, quanta vires in hac lingua per duo annorum milia pro mortua habita quasi dormierint.

En, inquam, quod Israëlita Palaestineses decem annis effecerunt, id nos gemimus in lingua latina, lingua totius orbis terrae, nondum factum esse

1. Beacon Verlag Koerber, Bad Dürkheim, Pfalz.

totius intervallo saeculi! Non admodum pauci linguam latinam cavillantes exolevisse dicunt et mortuam esse. Qui rectius dicant se mortuos esse linguae latinae, elanguisse illum, qui ad discendum necessarius est, laborem. Cessatum est —quod ultro fatemur— ex illis fere temporibus, cum hostium Ecclesiae Christi machinationibus beati Ignatii Loyolae filii dispulsi sunt, novas res, technicas praesertim, cognominare. Sed nomina invenire latina vel latine sonantia, multo censeo esse facilius quam hebraicas voces derivare ex antiquissimis etymis hebraicis, modo quam primum coëat diu exspectatum virorum diversarum nationum conlegium, qui in lingua latina praesent, quod docti Israëlitaë praesent in lingua hebraica. Atque hoc illi sibi primum faciendum statuunt, ut ex majorum lexicorum penu conquirant milia nominum et litterarum ordine proponant, quae jam antiquis prius, postea recentioribus in ore erant ad ea significanda quae eis nova occurrerant. Eorundem virorum sit nova, quae opus sunt, nomina et verba scienter excogitata vel derivata in medio ponere, idemque, veluti quoddam oraculum mundi, examinata aliorum hujus planetae incolarum verba vel approbent vel reprobent, cum etiam dixerint, cur non videantur posse accipi, et meliora substituentes. Postremo illi, non aliter ac Palaestinenses Judaei omnibus locis et rebus inscribant voces latinas, promulgent latine, scribant latine. Sic non e morte ad vitam, quia lingua latina mortua non est, sed ex veterno neglectuque ad usum vitae evigilabit.

A. AVENARIUS, S. D. V.

ET IN TERRA PAX . . .

Alumnis, toto corde

*Heus! laeta pax mortalibus
non lucet inter odia.
Obducta terra sanguine
lugetne semper filios?
Aurora mulcet pectora
praenuntiata Vatibus;
dies venit quae Germine
David replebit gaudiis.
Dum nocte silent omnia
lux fulget in praesepio:
«arridet alma pax bonis»
canunt volantes angeli.*

J. FÁBREGAS

Montehilari, XIII Kal. Jan., a. MDCCCLVIII.

DE VERBIS IN LATINUM INDUCENDIS A SOCIIS DISCEPTATUR

Andreas, Avenarius S. V. D., Josepho Mir, C. M. F., S. P. D.

S. v. b. e. Ego illustrium rogatu virorum duos nuper commentariolos teutonicis verbis conceptos reddebam latine frequentiores vocabulis quae difficillius redduntur latine, ut cogar inquirere, quid alii meque doctiores latinitatis amatores fuerint interpretaturi. Atque inquirō hoc fidentius a te, quia superiore anno tam acute ad similia respondisti. Periniquum autem hoc est, quod hic nonnulla postulatur, quae non invenias descripta ne in hodiernis quidem lexicis earum linguarum, e quibus eae voces repetuntur: ut mihi usu venit in 'unimog', in 'jeep', in 'pick up', in 'test case'. Et illa quidem superiora genera sunt digarum, vel ut alii vocant automatariarum machinarum genera, quarum americana vocabula, unde conflata sint, me penitus latere fateor. Audio 'unimog' onerariam digam esse, 'geep' currum esse, quem hi Germani 'popularem currum', hoc est 'Volkswagen' vocant; 'pick up' fortasse machinamentum est ad capiēda et alio porrigenda onera excogitatum. Nam saepe videmus hodie, cum area complananda est aedificandae domui aut effodienda subterranea sunt, admoventi machinas excipulis haurientes massam terrenam, hanc ferreis brachiis tollentes et in paratos carros evomentes, perinde ac si praeditae mente et ratione sint. Fortasse 'pick up' ejusmodi machinarum nomen est. Nam 'test case', qua in voce jam superiore anno haeseram, esse suspicor, recte anne perperam, nescio, quem nos casum praecedentem, 'Praezedenzfall', vel exemplarem casum dicimus, 'resolución anterior en caso igual o semejante', ut ait in VOCE¹, vocabulario tuo, Samuel Gili Gaya, doctor. Ibidem lego etiam interpretationem hujus nominis quod est «barrio», neque hoc «caserio dependiente de otra población» vel «cada una de las partes en que se dividen los pueblos grandes o sus distritos» in nomen latinum contraxi, quippe cum non perspectum haberem, quid in Insulis Philippinis barrio esset, sed malui «barrionem» latine declinare et afficere genere masculino. Neque unquam antea cognoveram Anglorum «ringworm», cujus mentio erat in documento; sed didici a benevolo medico vicini valetudinarii esse 'herpetem tonsurantem' nomine tecnico.

Et haec quidem ex anglica lingua praestanda erant. Sed jam accipe pauca etiam teutonica, quae se latina fieri volebant. Scis communistas doctrinam sic propagare suam, ut a parvis sedibus, quas illi 'cellas' nominant, hominum

1. Cfr. Vox, *Diccionario general ilustrado de la lengua española*, 1953, s. v. precedente.

mentes subigere temptent. Totam rationem nos, quemadmodum Russi, 'Zelltechnik' dicimus, quam ego verti in 'technicam cellarem' vel cellularem, facile sonantem auribus aequalium nostrorum subjectam rem.

Excogitatum his annis est curruum digariorum genus, in quibus et sacra aedicula esset et sacerdotum habitatio. Quis non videat illos currus summa cum fidelium utilitate circumcurrere illas regiones, quae penuria laborent sacerdotum et ubi nullae sint ecclesiae? Teutones eos currus appellare coeperunt «Kapellen-Wohnautos», ego vocavi 'digas sacellarías simul et habitatorias' vel loquor de curru (scilicet automatario) qui pro sacello simul et habitaculo sit. Nostrum 'Anhaenger', currum vel carrum copulandum alii curru, quem vos *remolque* videmini vocare, quem Baccius «auxiliarium currum» facit, ego etiam «supplementarium» vocito currum.

'Reparaturwerkstätte', hoc est 'officina riparazioni' Itolorum, a me dicta est «officina reparatoria, vel rectoria»; potuerit esse «officina reparandis machinis». 'Vorratsraum', vestrum *recibimiente*, ego, quod locus est in receptaculo majore digarum et machinarum, 'horreum utensilium' volebam esse.

Quod dixi receptaculum novo genere regularum contectum est compressae massae, quam, quod infinitae duritatis sit, fabricatores vocaverunt 'Aeternit'. Habesne aliud quam 'aeternitam' nomen, cujus nominativus sit «aeternites» primae declinationis, et genus masculinum?

Reddenda etiam erat haec compositio vocum vere teutonica *Wehrbezirkskommando*. Tacentibus omnibus lexicographis temptabam, quid esset, sic profari, ut esset «imperium (vel praefectura) circumscriptionis militaris». Haec fere sunt, quorum a te exspecto examen et, quam videris, in meliora mutationem. Interpretanda erat etiam haec notitia «Die Motorisierung der Mission ist zu gut 50 % durchgeführt». Dicam, ut potuero, italice, et sit: *la motorizzazione della missione è stata effettuata per ben cinquanta per cento*. Latine sic scripsi: «Missio automatariis machinis instructa est ad plus quam 50 %». Baccio duce etiam brevius dicebatur: «missio machinata esse ad 50 %». At enim hoc ipsum '50 %' qua oratione latina proferri oporteret, hoc ex te percontor. Nam ego notum hoc omnibus signum % conspicatus sic soleo loqui, ut dicam: «ad plus quinquaginta pro centenis (partibus)». Bibliopolae solent percipere «remissionem pretii triginta (partium) ex centenario, vel triginta centesimarum, vel tricenarum centesimarum». Si quem potueris adducere hominem vere latinum, ut has nos cotidiani usus formulas doceat, rem omnibus gratissimam feceris quoniam hoc ipsum nobis est propositum, ut, quidquid in sermonem non latinum aequalium nostrorum cadit —et cadunt saepissime illae centesimae— hoc nos vel nullo vel non nimio negotio etiam latine tractemus.

Postremo tibi narrandum statui quod heri mihi relegenti in *Palaestra Junii* anni hujus «per orbem» P. Jacobi Sidera in mentem venit. Is nuntiat inventas esse ad Insulam Sardiniam plurimas testaceas amphoras, mersae

onerariae navis, ut videatur, mercem. Caligulae naves e lacu Nemorensi collectas misere perisse proximo bello. Quam non misere perierint illae duae naves, sed quam stulte, quam nefarie et scelerate deletae combustione essent —in mentem venit— cognosci e *Palaestra* anno XIX (1949); nam paginis 35 et 36 ejus anni scribi ad Nemorensium lacum iter et brevem illarum navium historiam, navium nihili —dicebat incensor— quod operum fuissent Mussolini.

Tyrsirutis, Nonis Septembribus anni 1958.

Litteris Patris Avenarii hoc parvo vocum indice respondeo:

Jeep: ut ex *Encyclopaedia Universali Herder* (Herder, Barcelona 1957³) accipio, est «currus automobilis bellicus Americae Septemtrionalis, motoria machina instructus cum potentiis equinis sexaginta, senis velocitatibus (progressionibus) et tractione in quaternis rotis».

Animadvertas rogo: non admodum placet «potentia equina» pro *caballo de fuerza, de vapor* (*Pferdestärke*); Dr. Georgius Lurz (*Per lo studio e l'uso del latino*, 31 dic. 1942, p. 83, cfr. etiam *PALAESTRAM LATINAM*, 16 (1946) 164-165) «vim equinam» proposuit, quae ex defectu declinationis vocis «vis» forsitan minus apta sit. Cognasso (*Il latino per l'uso moderno*, s. v. *cavallo*) et alii habent: «equus vaporalis». Melior tamen vox quam «potentia equina» modo non suppetit.

De «curru automobili» propediem in *PALAESTRAM LATINAM* verbosius agemus cum propositas de re voces ab Holzer, P. Avenario, P. Caelesti ad amussim expendamus.

«Velocitatem» dixi *marcha*; quam vocem in multis ab Holzerio propositis de re motoria non inveni, nam «progressio, antegradatio» est *marcha adelante*, et «retrogradatio» est *marcha atrás*; sed *marcha* tantum eritne «velocitas», «gressio»?

Notes etiam velim: amicus mecum communicat vocem *jeep* proprie *geep* fuisse scribendam, eamque vocem enatam esse ex breviatione *General purpose* (*servicio general, público*), ex quarum primis litteris «g» et «p» *geep* (proprie *gipi*) effingitur. —Neque ceterum mihi videtur *jeep* «curru publico» vestroque *Volkswagen* respondere.

Pick up: est ex eadem *Encyclopaedia Universali Herder* «instrumentum quod vibrationes aciculae seu stiluli grammophoni ad sonos accipiendos aptas in tensiones electricas mutat et in megaphonum transfert». —Neque, ut vides, verbum ibi est de machinamento ad capienda onera.

Test case (precedente): «casum exemplarem» probo; fortasse dici etiam potest «casus similis»; sed C. Mariano (*Nuovo dizionario italiano-latino*) sapienter habet: «exemplum» et «antecessio»: quae quidem optima est vox a Cicerone (*De Off.* 1, 4, 11) usurpata: «Homo autem, quod rationis est par-

ticeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt earumque praegressus et quasi *antecessiones* non ignorat» (in editione critica *Bernat Metge*, Barcelona, p. 13, vertitur in *antecedents*).

Barrio: cum primum vocem illam hispanicam legi eamque declinatione latina flecti animadverti, rei novitatem miratus sum: sed paulo post non «barrio, onis», sed «barrium ii» cadente latinitate i. e. saeculo X, XI, ss. in Hispania prae primis adhibitum esse intellexi (Cfr. DU CANGE, *Glossarium*, s. v. et NIERMEYER, *Mediae et infimae latinitatis lexicon minus* s. v. *barrium*, 2: *faubourg*): «Ita appellatur aedium ac domorum extra urbem et ad suburbana quaedam congeries...». In Provinciae vero Comitatu *barrium* vocant eum aedium numerum qui muris includitur: «Flamma exivit de mari et incendit plurimas urbes et villas... et in Zamora unum *barrium*» (in Proelio de *Clavijo*)¹.

Attamen a voce cadentis latinitatis recedamus oportet cum a Romanis habeamus: «vicus - suburbium - suburbana - suburbanitas - regio urbis vel pars - via - callis», fortasse et alia, quibus significationes vocis *barrio* lingua latina exprimi aptissime possunt.

Ringworm: medicus ille certa scientia sua, melius quam nos, rem sciat.

Zelltechnik: probari fortasse potest «technica cellaris», («cellularis»); quod si hac voce «technica cellari, cellulari», artem seu agendi rationem (*procedimiento*) «per cellulas» exprimere volumus, novam vocem accipiamus oportet.

Kapellen-Wohnautos: «sacellarius» et «habitorius» fortasse minus grata haec verba non nullis erunt; quid, si «currus automobilis (autoraeda) cum sacello et habitatione» aut «sacello et habitatione instructus» dicamus?

Anhaenger: «currus auxiliarius» bene est; «supplementarius» si doctioribus placeat; quidni «remulcum» adhibeamus licet primigenius verbi sensus non nihil immutetur?

Reparaturwerkstaete: «officina reficiendis vel reparandis machinis» bene est, et sufficere possit.

Vorratsraum: mihi esse videtur «cella promptuaria, promptuarium cella penaria»; hispanice vero non *recibimiento*, sed *depósito* (i. e. receptaculo),

1. Curiosis lectoribus quae J. COROMINAS in suo lexico *Diccionario crítico etimológico de la lengua castellana*, Gredos, Madrid, s. v. *barrio* refert grata esse possunt: **Barrio**, de ár. *barr* 'afueras (de una ciudad)' o quizá más precisamente del derivado árabe *barrí* 'exterior', ár. vg. *hárri*, 1.º doc.: 949, bajo lat. *barrium*, doc. de Zamora (Du C.).

Para más documentación arcaica, Oelschl. Además hallamos muchas veces *uarrio* en doc. de 1030, referente a Aranda de Duero (M. P., *Orig.*, 40, 41). *Barriuelo* en Oña, 1065 (ibid., 131), en doc. 16. 10). El vocablo se halla además en port. *hairro* (*barrio* en Tras os Montes, a. 1301: Leite de V. *Philol. Mir.* II, 53). cat. *barri*... El significado primitivo fue 'aldehuela dependiente de una población'; se halla en el doc. de 1030 y en otros de los citados. así como en la 1.ª *Crón. Gral.* y en textos del s. XVI; de aquí pasó a 'arrabal' [1625], y de éste por una parte a 'zona de una ciudad' [*Alex.*], y por la otra a 'parapeto, muralla (que rodea al arrabal)'...

respondere debet; cui sensui tuum illud «horreum utensilium» quadrare poterit.

Aeternit: illa percepta voce quae est «aeternītes, ae, m.» iterum non nihil miratus sum; tamen cum lexica adiissem remque meditatatus, non invenuste neque insipienter rem novam signari intellexi; qua in voce indaganda multum me juravit cl. v. Gradenwitz qui in lexico cui titulus *Laterculi vocum latinarum* (voces Latinae et a fronte et a tergo), Leipzig 1904), octoginta exprimit voces quae illa terminatione «-ites, ae» m. finiuntur, ex quibus maxima pars Graecae quidem sunt et lapillos pretiosos significant, sed sunt quae et alia expriment: «thymītes, paeanītes, nectarītes, galactītes, myrtītes, melitītes, chrysītes, persītes, anthracītes, siderītes, alabastrītes, pyrītes, purpurītes, porphyrites, lychnītes», cet.: ex quibus extremæ ad rem nostram propius accedunt. — Quod si latinitatis primores *aeternitatem* in thesaurum latinitatis recondant, eadem ratione accipiendum arbitror et «securitam» («securites, ae, m.»): nam *securit* est apud nos crystalli genus peculiari nota praeditum quod difficile confringi potest.

Wehrbezirkskommando: «praefectura (vel imperium) circumscriptionis militaris» prorsus probo.

50 % (**cincuenta por ciento**): res, nisi fallor, est jam olim in «Alma Roma» agitata et parum luminis instillasse videntur Tassetus et alii clari viri, locum tamen reperire nondum potui. Tamen cum videam scriptores Latinos et grammaticos dixisse: 4/7 «quattuor septimae», 7/9 «septem nonae»: quare nos dicere nequeamus 50 %: «quingenta centesimae», 20 %: «viginti centesimae», 30 %: «triginta centesimae»? Nam «centesimae» erant usurae in quibus centesima sortis pars, hoc est unum pro centum singulis mensibus solvebatur, ut ait Forcellinius; et quamquam ibi agitur de usuris «singulis mensibus» solvendis vox facile accommodari potest, uti credo, ad remissiones in libris aliisque rebus emendis vel vendendis. — Modo ex Lurzio (*Societas Latina*, 17 (1952) 16) qua ratione 4 % latine proferamus didici, ibi e nim est: *ein 4 % iger Pfandbrief*: «litterae pignoratitiae quaternarum centesimarum»; «quaternae centesimae» igitur sunt 4 %...

His vocabulis enodandis et apte in linguam latinam reddendis operam quoque contulit cl. v. Jos. Holzer, Gymnasii Saraludoviensis Rector, cujus haec verba:

«Quod adhuc de rebus illis opintosis nondum rescripsi, non mea in te negligentia est in culpa, sed ea de causa accidit mora, quod aliquot viris rei autocineticae peritis mandaveram ut, quid sit *Unimog*, extricarent. Unus aliquis vel munus de hac re ad quandam germanicam fabricam autocinetis construendi scribendi suscepit. Sed nondum datum est responsum. Equidem puto «*Unimog*» esse compendiarium notam monstri verborum «*Universal* -

motorem - gesellschaft, i. e. «universalis motoriis machinamentis fabricandis societas» vel ut etiam littera «g» retineatur «uni-versalis mo-toriis fabricandis globus». Est autem machina tractoria, a rusticis et agricolis maxime usitata, ab illa vero universali motoriis fabricandis societate concinnata.

Ut ad *Jeep* transeam, hoc autocinetorum genus dicerem «americanum autocinetum e litteris *ge* et *pe* appellatum»; joci causa etiam «autocinetum gepicum». - Sed et meliora adnotem oportet, nam in aliquo lexico *Jeep* per *Kühelwagen* inveni redditum i. e. currus, cujus exstructio cupae similis est, deest igitur capsus, habet autem ploxiemum (Cf. RICHT, *Illustr. lexicon antiquitatum Rom. et Graec.* sub voce *ploxiemum*). Si igitur latinius habere aves vocabulum, en accipe «americanum cum ploxiemo currum».

Zelltechnik: ego dicerem «communistarum per cellas, ut ajunt, molitiones, machinationes».

Volkswagen: mihi «vehiculum popolare, currus popularis».

Ec hac data occasione ad PALAESTRAM LATINAM 27 (1957) n. 159, p. 144 ss. haec refero: *reembolso*: «compensatio, repensatio, remuneratio». *Envío a reembolso*: «missus cursuali remuneratione adstrictus, missus aut exhibitio e delegatione cursuali». Delegatio enim cursualis est mandatum exactionis tabellariis a venditore securitatis causa commissum concreditumque. *Enviar un paquete a reembolso*: «fascem mittere cum delegatione cursuali, delegatione aut remuneratione cursuali adstrictum». — «Solutio antelata» autem meo iudicio est solutio «anticipata, solutio in antecessum» i. e. ante mercem receptam; quapropter in hac verborum junctura non esse adhibenda videtur...».

Cui tandem Moderator:

«Ut ex iis quae supra a te sunt relata colligo, et ut nunc se res habet, *unimog* latine reddi posse videtur: «currus tractorius *unimog*».

Multi ex curribus quos vulgo *jeep* vocamus, habent etiam capsus et ploxiemum; et ideo haereo in verbo; fortasse, dum meliora exspectamus, dicere possumus: aut «currus americanus cum ploxiemo» aut, rem subtilius definiunt — licet absona sit vox —: «currus (americanus) *gepicus*». Nonne et alia extera et barbara, necessitate ex novis rerum inventis constricti, accipimus: «cafeum, chocolata, pulvis nicotianus, currus pulmanianus», cet.? nam cum res tantum definimus, non omnes mentem nostram et rei notionem assequuntur.

Quae vero ad vocem *reembolso* spectant, a te. proposita verba probo, sed «delegatio» illa, ut mihi videtur, obscuram reddet rei notionem, neque facile omnes intellegent. Habeamus, si placet: *reembolso*: «solutio, compensatio». — *Envío a reembolso*: «missus (—fascis, fasciculus, libellus, liber, cet. esse possunt—) compensatione cursuali adstrictus»; et, fortasse clarior erit locutio: «missus solutione (mercis) tabellario danda». — *Enviar un paquete a reembolso*:

«fascem (fasciculum, librum, opusculum, cet.) mittere impensis tabellario solvendis (ab aliquo, per aliquem)»; «fasciculum mittere solutione tabellario danda solvendum (pendendum)». Locus igitur ille PALAESTRAE LATINAE (27 (1957) 144) superius a te memoratus, ita est melior reddendus, dele: «solutione antelata» et muta in «solutione danda».

Cetera ab amico proposita libenter probamus.

J. M. M.

C U R S I M N O T A T A

Ad Cyprianum Gallum. — Adferre juvat locum Cypriani Galli poëtae christiani, quo loco Ciceronis memor fuisse videtur.

Cyprianum illum Gallum ineunte saeculo V in Gallia vixisse perceptum habemus. Scripsit autem paraphrasin metricam librorum Testamenti Veteris historicorum. Cujus operis indoles ac natura cum versione poëtica Novi Testamenti, a Vettio Juvenco confecta, comparari potest. Carmina vero Cyprianea, oblivione diutissime celata, saeculis tantum XVIII et XIX iterum in lucem protracta sunt. Innotuit hucusque praeter fragmenta Pentateuchus, Josue, liber Judicum. Quae omnia summa cum cura R. Peiper anno 1891 critice edidit in Corpore Vindobonensi Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum.

Editor, postquam sermonem Cypriani ad vulgarem usum Gallorum accedere animadvertit, haec de cultura poëtae addidit (pp. XXIV-XXV):

«Non mediocriter tamen litteris latinis Institutum eum produnt innumeris loci. Quibus principum poetarum a Lucretio ad suam prope aetatem versus imitatur, Vergilium prae ceteris, sed et Horatium cum Ovidio, Persium et Juvenalem, Lucanum quoque ni fallor cum Statio et Silio in deliciis habuit; quibus ex pedestribus auctoribus Sallustium Livium Tacitum adiungas».

Quibus auctoribus addere velim Ciceronem, quod an alius jam fecerit nescio. Poëtae enim carmina raptim tantum perlegi nec tractatus in ea recentes perscrutatus sum.

Agitur autem de capite XXII, versibus 2-4 libri de Exodo:

«Sin autem in ipsa perfossione inventus fuerit fur, et percussus mortuus fuerit, non est illi caedes (2). Si autem oriatur sol super eum... (3) et inventum fuerit in manu ejus furtum... dupla reddet ea».

Quae ita vertit Cyprianus, versibus 883-86 Exodi:

«Nocturnum furem licitum prosternere ferro, / dum penetrat postes obsaeptaque limina rumpit. Si vero exorto fuerit iam sole prehensus, / duplīcter redhibere nocens sublata tubetur».

In primo dumtaxat versu, qui longius a verbis Exodi recedit, Ciceronis meminit auctor, in oratione *pro Milone*, v. 9, dicentis:

«Duodecim tabulae nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderet, interfici impune voluerunt».

Simili modo in Digestis Justiniani (48, 8, 9) legitur:

«Furem nocturnum si quis occiderit, ita demum impune feret, si parcere ei sine periculo suo non potuit».

J. IJSEWIJN, Stationsstraat, 62, Zwijndrecht (Belgium).

PER ORBEM

Commemoratio Ciceroniana. — Multae acroāses Ciceroni publice celebrando ubique terrarum sunt habitae. Longius omnes et singulas enumerare quae vel in Italia tantum actae sunt, nani non modo Arpini et Tusculi et Romae et Mediolani et Genuae, sed etiam Comi, Utini, Frusinone, Messanae, Senae Gallicae, Formiis, Barii, Leuci, Bononiae, Anconae, cet. Quae quidem disputationes a viris perillustribus prolatae sunt: in quibus H. PARATORE, J. B. PIGATO, J. B. PIGHI, C. CORSANEGRO, sunt numerandi. In omnibus his acroasibus apparet quantus vir et qualis fuerit Cicero, qui etsi ab eruditissimis viris exquiritur, perpenditur, existimatur, tamen plura in se occulta recondat quam patefaciat.

Juvat quoque referre quam scholam Bartholomaeus OLIVER *«de Cicerone, litteris et humanitate»* in Studiorum Universitate Caracensi, in Venetiis, doctor clarissimus amicusque noster, Kal. Dec. a. MDCCCCCVIII explicavit. Sancti Jacobi in Chilia cl. v. LUCCIOLI, Rei Publicae Italicae legatus disputavit *«de Cicerone quod ad sui temporis rem publicam»*.

Cicero. — Hos novos commentarios — eleganti, venusto, concinno sermone latino conscriptos — auspice Collegio studiis Ciceronianis provehendis evulgandos laeti salutamus, et quod latine eduntur et quod de Cicerone loquuntur. Commentariorum Moderator est H. TONDINI; alter a Moderatore idemque satisdator est Petrus BRUNO, uterque egregius sane vir, maximi ingenii uterque, Vaticanorum commentariorum quibus est index LATINITAS conscriptores praeclari. CICERO emittitur e: *«Piazza dei Cavalleri di Malta, 2. Roma»*. Hoc anno ter prodibit. En quid his commentariis et editis et edendis quaeritur:

«...Collegium (studiis Ciceronianis provehendis) statuit Commentarios edendos, quibus quidquid de Cicerone quaesitum sit, hoc anno Ciceroniano vertente, demonstretur; et... hos Commentarios divulgandi munus nobis tribuit, quibus et quantum apud nos ceterosque populos de Cicerone celebrando actum sit

exponatur, et ex operibus Ciceronianis selectae sententiae proferantur et commentationes de Ciceroniana doctrina cura et studio exhibeamus. Cum autem eruditorum cujusvis gentis lectioni hos commentarios commendari deceat, eos non modo Italice verum etiam latine exaratos volumus».

Signum Ciceroni Arpini erectum. — In his commentariis qui *«CICERO»* inscribuntur legas qua sollempnitate in Capitolio commemorata sit Ciceronis memoria. Ibi videas photographice expressum M. Tullii Ciceronis monumentum Arpini positum, quod effinxit egregius statuarum artifex Fer-

ruccius VECCHI. Hanc statuam, qui ne pictam quidem se visuros sperant, videant et legant a Petro BRUNO descriptam:

•Pede priore insistens et erectus; toga liber solutusque, quo facilius ad pugnam sese accommodet, manum dextram porrigit editam in altum cujus digitus index perditos homines demonstrat; oculi ejus acerrimi, et ille quidem saepti palpebris leviter demissis, intentissimi ad destinatum collineandum esse videntur, id est ad ferendum, si quis minas jactare in

patriam sit ausus; atque ex vultu, in respuentis modum formato, eo angore animum vexatum intellexeris, qui benignitate motum gestumque exornet, nedum imminuat. Rugae autem circumfluentis togae, haud secus atque cunctae corporis partes, eo contendunt ut firmitatem et brachio elato et manui in pugnum compressae et implacato digito afferant».

Haec in statuæ basi sunt inscripta, elegantissima latinitate ab amico Guerino Pacitti contexta (*Cicero*, I (1958) 17).

VNVS · OMNIVM · EMINVIT · LAVDE · DICENDI
 ROMANORVM · DITAVIT · SERMONEM · ATQVE · ILLVSTRAVIT
 ARCTE · MATRI · COMMVNI · NATIONES · DEVINCTVRVM
 LIBERTATEM · CIVILIBVS · DISCORDIIS · OPPRESSAM · DEFENDIT
 CIVILIBVS · DISCORDIIS · CECIDIT · IMMOLATVS
 VETERVM · SAPIENTIAE · PERINSIGNE · DECVS
 COMMVNI · OMNIUM · HUMANITATIS · PRAECO

Pittacia Ciceroniana. — «Romae, rei tabellariae Moderatores ut pittacis cursualibus, viginti quinque libellis venalibus, effigies Ciceronis exprimeretur curaverunt, Kal. Dec. a MCMLVII». Gaudemus factum, at miramur vehementer quod Caesari non modo non idem factum est, sed ne simile quidem. Caesari sane Italia et omnis orbis terrarum non minus debet quam Ciceroni. Etiam in hunc diem studia partium odia et amores hominum movent! Si Caesar resurgeret et Cicero!...

Commentarii memoriae Ciceronis celebrandae evulgati. — Commentariorum quibus est index HUMANIDADES, in Studiorum Universitate Comillensi, in Hispania, editorum fasciculus 19-20 totus fere Ciceroni dicatur. En commentationum index

En el Bimilenario de la muerte de Cicerón; Humanismo y Humanidad de M. Tulio Cicerón, por R. OLAECHEA, S. J.; *Cicerón y el Derecho Romano,* por O. ROBLEDA, S. J.; *Un monumento de vituperación,* por J. A. MUNIZ, S. J.; *La inmortalidad del alma en Cicerón,* por J. SALINERO

PORTERO; *La esencia de la felicidad y el concepto de virtud en Cicerón,* por JOSÉ LUIS GARFÉR; *Cicerón lingüista,* por MONS. AMLETO TONDINI; *Ideas pitagóricas en Ovidio,* por JUAN M. FERNÁNDEZ, S. J.

Praeses rei publicae Gallicae Renatus Coty cum Romam profectus est, in Collegium Studiis Ciceronianis provehendis, item Romae constitutum honoris causa maxima est adscriptus sollemnitate. En decretum:

R O M A E
PRID. NON. MAI. A. MDCCCCLVII
COLLEGIO STVDIIS CICERONIANIS PROVEHENDIS
CONVENTVM HABENTE

QVOD VERBA FACTA SVNT DE SINGVLARIBVS MERITIS QVAE IN ALMAM
HANC VRBEM CONSTENT RENATI COTY REIPVBLICAE GALLICAE
PRAESIDIS DE EA RE QVI ADERANT ITA CENSVERVNT
QVVM VIR AMPLISSIMVS ATQVE ORNATISSIMVS IN TRACTANDIS LITTERIS
LATINIS EXQVISITE VERSATVS SIT TVM VERO IN M. T. CICERONIS SCRIPTIS
VOLVENDIS QVIBVS ABSOLVTA ET VLTIMA ROMANARVM LITTERARVM
FORMA CONTINERENTVR OPEKAM NON MEDIOCREM COLLOCAVERIT
QVVM HAVD SECVS ATQVE HVIVSCE COLLEGI VIRI PRO SVI ANIMI SENTENTIA
EGERIT CONTENDERIT VI QVO ROMANORVM CVLTV ATQUE HVMANITATE
LATISSIME OLIM GENTES AD POLITIORIS VITAE VSVM TRADVCTAE ESSENT
EODEM NOSTRIS ETIAM DIEBVS QVANTVM POSSET SVBSIDI AD POPVLOS
FRATERNQ VASI FOEDERE IVNGENDOS APPARARETVR
PLACERE VNIVERSIS VT

R E N A T V S C O T Y
REIPVBLICAE GALLICAE PRAESES
IN COLLEGIVM STVDIIS CICERONIANIS PROVEHENDIS
HONORIS CAUSA COOPTARETVR
VTIQVE DECRETVM HOCCE IN PVBLICAS TABVLAS REFERRETVR QVIBVS AD
POSTEROS OBSERVANTISSIMAE VOLVNTATIS OFFICIVM PERTINERET.
CENSVERVNT

*Julius Andreottii Collegi Praeses,
Hyginus Funatoli, alter a Praeside,
Gilbertus Bernabei, arcarius.*

Qui utilitatem quaerunt et ambitionem sequuntur, videant studia classi-
ca non opponi rei publicae moderandae.

**Cursus Classicus qui «Perficit» appellatur in Seminario flaviobri-
geni (Bilbao) constitutus.** — Saepe omina sinistra latinitati impendentia
hinc denuntiare aegre sane debuimus. At aliquando immo et saepe, auspicia
optima portendentia indicare potuimus. Omne quidem optimo est hic cur-
sus in Seminario dioecetano flaviobrigensi (*Bilbao*) rite constitutus, qui
unum annum scholarem producit quo «classici» scriptores et graeci et lati-
ni studiose coluntur ab alumnis validiore ingenio praestantibus. Primo tri-
mestri Homeri et Vergilii poëmata integra linguâ primigenia leguntur et stu-
dio accuratissimo subjiciuntur. Altero oratoribus clarissimis, Demostheni
dico et Ciceroni, in se ipsis et cum nostrae aetatis oratoribus collatis, opera
navatur. Tertio denique tragici auctores et comici et lyriici toto ardore colun-
tur. Ut patet, annus classico cultu et humanitate quasi imbuatur et penetratur
tотus. Alumno itaque qui hunc cursum amplexi sunt, non poterunt non hu-
manitate repleti. Nam pars quidem temporis maxima auctoribus ab unoquo-
que alumno legendis tribuitur; reliquo vero tempore alumni mutuo commu-

nicant quae a singulis investigata sunt et degustata. Hic cursus jam hoc anno percurritur.

Cui quidem proposito maximae tribuendae sunt laudes; ratione enim non tantum bona, sed optima, voluntati Sanctae Sedis extremis gravissimisque documentis expressae obsequium praebet et oboedientia.

Hujusmodi autem cursus non est apud Hispanos novus. Nam multos jam annos a P. HENRICO BASABE, S. J. in Collegio Sancti Stanislai, Salmanticensi, cursus, nomine *Perficit* appellatus, quod flaviobrigensis exemplar est et forma dirigitur. Cujus fructus singulis mensibus, typis excusi vulgantur in commentariis quibus est etiam index *Perficit*.

Viget latinitas. — Quanti latinitas etiam hodie valeat ac fiat, argumento sint litterae ab Henrica MALCOVATI, in Studiorum Universitate Ticinensi egregia litterarum latinarum magistra ad alias Universitates mandato munere missae. Quas legas in commentariis *LATINITAS* (VI (1958) 219 sq.). Ibi invenias epistolam «Universitati Studiorum Budapestinensi tertias institutionis suae saeculares ferias celebranti», missam, «Litteras Universitati Mexicanae Reipublicae olim regali pontificiae», «Praestantissimo Praesidi amplissimoque consilio Gallicae Societatis ad chemicam artem provehendam constitutae»... Quae omnes venusto elegantique sermone latino exaratae sunt.

Lingua latina in honore haberi pergit, immo in dies pluris fit vel in ipsis Civitatibus Americae Septemprionalibus, si fidem damus Professoribus linguae latinae in Studiorum Universitate Wisconsinensi congregatis. Qui quidem asserunt numerum alumnorum qui linguae latinae dent operam extremis X his annis triplicatum esse, adeo ut sermo latinus alterum locum obtineat post linguam hispanicam, quae primum locum tenet, et ante gallicam germanicamque quae tertium quartumque occupant. Quibus de causis augetur latinitatis cultus? Parentes videntur illas disciplinas quaesivisse quae ab alumnis quam maximam animi contentionem et laborem exigerent et exposcerent. Quarum sane optimam et aptissimam latinam linguam esse duxerunt.

A senioribus exemplum .. — Ex actis diurnis accepi machinatorem emeritum Carolum Bailey ter in hebdomada Collegium Technicum Blackpoolsense adiisse ut linguam gallicam et italicam disceret. Et mirum prorsus, linguam quoque discere latinam animum induxisse. At res miranda non esset, nisi hic alumnus 77 aetatis annum explevisset... Res ergo celebranda et mira, neque tamen nova (quid sub sole novum?). Nonne et Cato 90 annos natus linguae graecae vacavit?

Hortatio ad omnes amicos Linguae Latinae. — Lege, amabo, hanc hortationem a fautoribus, sociis amicisque *Fundationis Grotianae*, quae sedem

Monachii habet, Ciceronianam commemorationem acturis exaratam, quamque ex commentariorum quibus est index *Latinitas* eodem fasciculo quo supra, excerpſi (*Lat.*, VI (1958) 232).

«Sodales! Linguam nostram latinam, quam sumus educati atque imbuti a prima pueritia, matrem venerandam fuisse omnis educationis et disciplinae totius Europae meminisse consentaneum est praecipue his temporibus... Memores simus Latinitatem sacrum quoddam per tot saecula vinculum fuisse animarum et instrumentum mutuae intelligentiae late in omnibus partibus cogitandi et philosophandi, in religione, in re publica, in vita cotidiana... Nolimus umquam indigni esse hujus humanitatis, quam Cicero noster tam magnifice expressit in libris suis immortalibus.

Omnia quae vere Latina sunt spirare scimus humanitatem, liberalitatem, magnitudinem animi... Digna igitur est lingua nostra Latina, quae tanta praeclara in se continet, ut vim denuo et auctoritatem tandem recuperet,

ad omnium bonorum animos colligendos in unam quasi ingentem patriam incorpoream supra patrias...

Nequaquam enim mortua est lingua Latina, sed nata ut vivat... digna quidem praeclare ut florescat non in scholis tantum angustis et cubiculis doctorum, sed etiam in foro et in mundo, ubicumque magnae quaestiones pro salute mundi serio deliberantur...

Loquamur igitur, quantum fieri poterit, Latine; profiteamur publice nostrae Latinitatis laudem et utilitatem. Inde quid benefici profluere possit omni vitae publicae docebit tempus futurum, dummodo nos item, quales sumus et educatione et indole animi, cum omni conscientia et nobili superbia esse nunquam destinamus: veri amici atque propugnatores excelsae nostrae linguae Latinae».

Archaeologica inventa. — Effossionibus quibus plurima nuper reperta sunt apud Brauronem, ad oram Atticae Septemtrionalem, videtur sepulcrum Iphigeniae detectum esse; quod sepulcrum, in specu reconditum, ad templum Artemidis, s. V a. Ch. n. structum atque ab Euripide in illa tragoedia «Iphigenia ad Aulidem» descriptum. Patet enim quae ab Euripide dicuntur omnino similia esse iis quae modo effossa sunt.

Romanitas. — Novi commentarii a «Societate Romanistarum Brasiliensi» edendi nuntiantur, cui sit index *Romanitas*. Propositum est ut bis in anno edantur; modo tamen semel in anno prodibunt dum numerus et conscriptorum et legentium in dies augeatur. Sedes moderatoris est: *Sociedade Brasileira de romanistas*. Av. Rio Branco, 185; Sala 1114; Rio de Janeiro (Brasil).

En primi fasciculi index rerum: A. PIGNIOL: *Les empereurs parlent aux esclaves*. J. C. MATOS PEIXOTO: *Convivência no matrimônio romano*. Alexander CORREIA: *O dolo nos contratos de boa fé*. Thomas MARKI: *Sociedade «ercto non citto»*. VANDICK LONDRES DA NOBREGA: *Ainda o*

«partidas esto». DESEMBARGADOR VIEIRA FERREIRA: *Savigny*. O. T. DE BRITO: *O Latim no vocabulário inglês básico*. A. FRANZ DOBBERT: *Der Lateinunterricht von gestern und heute*. V. L. DA NOBREGA: *Cicero perante o asianismo e o aticismo*. — *Renenções*. — *Noticiário*.

Acta Diurna. — Editio italica scholarium commentariorum quibus est index: *Acta Diurna*, a Gualterio Rossi paratur (*Rossi Editore, Via Brera, 5. Milano (Italia)*).

Societatis Orbilianae in annum 1959 Moderator renunciatus est Joannes Granarolo, in Studiorum Universitate Aquae Sextiae (*Aix-en-Provence*) doctor, qui Doctori W. F. Jackson-Knight succedit.

Calendarium Latinum Societas item Orbiliana in annum 1959 —omnino commendandum — vulgavit, ut annis superioribus fecerat.

Raimundi Lullii operum editio: — Superiore fasciculo nuntiavi editionem parari operum omnium latinorum a Beato Raimundo Lullio conditorum. Nunc aliud Lullianum nuntium legentibus perferimus, opera Lulliana quae praecipua diceret et quasi necessaria in vulgus edi, iteratis curis Officinae Librariae Barcinonensis «Selecta» nuncupatae. Quae opera duobus continebuntur voluminibus (quibus est Index «*Obres essencials*») quorum prius complectitur libros: *Blanquerna*, *Libre de meravelles*, *Libre de l'Orde de Cavalleria*, *Arbre de ciència*, *Libre de Gentil e los tres savis*, *Libre de Sancta Maria*, *Libre dels mil proverbis*, *Poesies*. Alterum autem: *Arbre de filosofia d'amor*, *Libre de contemplació*, *Liber de Natali Pueri Jesu*, quod

quidem appendice absolvetur in quo lingua qua Raimundus est usus diligenter perpendetur; libri de Raimundo ejusque rebus scripti colliguntur, glossarium verborum proponitur. Haec opera omnia primitigenia lingua qua Raimundus Lullius est usus, catalaunicam dico, per fasciculos 100 pagellarum menstros vulgari coepta sunt. Fasciculorum perlegi primum, in quo proponuntur prooemia in opera Raimundi, a clarissimis viris, uti sunt Michaël BATTORI, S. J., Thomas et Joachim CARRERAS ARTAU, Georgius RUBIÓ, conscripta. Editio haec nova, etsi non est critica — manu enim scripta collata non afferuntur — non dedecet tamen editionem quam vel viri eruditi et his disciplinis imbuti postulare possunt.

De vita decesserunt. — Non modo Catholici sed homines omnes lugent ac maerent mortuum PIUM XII Pontificem Maximum, qui vere «Pons» fuit Deum inter et homines, et pontem fecit atque exstruxit inter humanum rationalemque cultum et fidem religionemque. Nos Pontificem Maximum quemcumque, Dei donum hominibus factum aestimamus. Sed in eo qui fuit Pius XII vidimus et mirati sumus virum egregium qui humanitatem fundamentum habuit operi supernaturali aptissimum et validissimum, omnibusque proposuit cultum humanum tamquam columen totius institutionis christianae. Nemo est qui ignoret quanti studia haec nostra fecerit quantumque promoverit. Longum est enumerare orationes in quibus studia classica, et linguam in primis latinam, laudaverit, commendaverit, viris ecclesiasticis etiam atque etiam imposuerit. Linguam latinam in sacris operandis retinendam esse censuit et confirmavit, novam Psalmorum in puriorem castioremque sermonem latinum versionem induxit, probavit tutavitque. Commentarios qui *Latinitas* inscribuntur sua auctoritate munivit. Neque ultimum locum tenent documenta illa praeclara quibus nuperrime linguam latinam iterum iterumque defendit, sancit, imponit. PALAESTRA haec nostra numquam obliviscetur a Summo Pontifice, cum munere fungeretur a Secretis Status laudibus cumulatam se esse. De Commentariis etiam nostris mentionem fecit in documento Congregationi Claretianae misso cum sollemnità anni ab Instituto condito centesimi agebantur... Requiescat in pace ille qui vere fuit homo

Dei: homo qui nihil humani a se alienum putavit; homo Dei qui strenue Dei jura tuitus est et Deum hominibus humanisque rebus et quaestionibus non modo propiorem sed proximum demonstravit.

E vivis ereptus est clarus ille vir et sacerdotum exemplar Laurentius RIBER, litterarum amantissimus et copiosissimus. Ortus erat in vico *Camparet* in insula Majorica, die 14 sept. a. 1882. Admodum adulescens studia ecclesiastica iniit, et Melpomenem peramanter colere coepit. Anno 1907 in «*ludis floralibus*» Barcinonensibus «*Florem naturalem*» — maximum praemium — tulit ob carmen «*La cabellera de Berenice*» inscriptum, annoque 1910 appellatus est «*Mestre en Gai Saber*» seu Musarum artis doctor. Sermonem patrium catalaunicum studiose dilexit et coluit, neque minore studio hispanicum. Adeo ut in Academiam Regalem Linguae Hispanicae provehendae meruerit cooptari. At toto pectore et amore linguam latinam est prosecutus; quam neque solus degustare voluit, sed aliis degustandam praebuit: in catalaunicum convertit Sermones et Epistulas Horatii et Ciceronis orationes (*Sàtires i epistoles*) in eo corpore quod «*Bernat Metge*» inscribitur; etiam Vergilium totum versu hendecasyllabo inclusit, soluta oratione Sallustium et Taciti opera minora et Sti. Paciani opuscula. In hispanicum vero Horatii Vergiliique opera omnia; de Martiale scripsit librum: «*Un celtíbero en Roma*». Convertit quoque Ludovici Vivis opera et Erasmi Roterodamensis. Scripsit praeterea plures commentationes in actis diurnis et commentariis. Quaecumque vero scripsit, modo sibi proprio et plane suo, singulis verbis et periodis ad obrusam exactis et annum nonum in tabulis inclusis. Ita omnia quae scripsit, perfecta apparent, et non modo vacant culpa, sed etiam laudem merentur.

Vita quoque functus est Carolus CARDÓ, Ecclesiae Barcinonensis Canonicus, vir quoque litterarum latinarum peritissimus, qui multos scriptorum latinorum libros catalaunice reddidit eo corpore «*Bernat Metge*», in quo multa Senecae opera edidit. Extremum foras emisit: «*Quaestiones naturales*», prosa oratione eleganti, terete, rotunda. Institutum ergo *Fundació Bernat Metge* demortuos flet et Moderatorem Joannem Estelrich et duos hos validissimos conscriptores Carolum Cardó et Laurentium Riber.

R. I. P.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

Scribendam Cervariae Idibus Novembribus a. MDCCCCLVIII.

BIBLIOGRAPHIA

BELL MAURICE. — *Druides, Héros, Centaures. De Thulé à l'Asie des Steppes*. Librairie Plon, Paris, 1955. Pg. 214.

Fasciculis superioribus de libro hujusmodi officinae librariae locutus sum, in quo libro maxime dilaudabam quod eleganter ac lepidissime quae vetustatis studiosi inventissent et quo modo, legentibus neque in re peritissimis viris quasi narrando proponeret. Has fere laudes huic libro sunt tribuendae. In eo tamen non una res evolvitur, ut in eo libro cui est index «*Le Secret des Hittites*», sed, ut vel in indice legas, de multis rebus agitur. Hic legas quaedam de Stonehenge (*le mystère de Stonehenge*), de Graeciae heroum temporibus, de Scythiis, Graecis, Persis, de Atchana et commercio apud veteres, denique de hieroglyphicis Hittitis repertis et lectis et interpretatis. De manu scriptis etiam apud Kumram in deserto inventis. Hic tamen (pg. 44 sq.) levius auctor Professoris Dupont-Sommer opinionem et interpretationes de Magistro Justitiae amplectitur, quae quidem non modo fidei catholicae adversantur, sed etiam rationi et historiae fidei. Qua re lectores illi, quibus liber est scriptus, a vero facillime devitari poterunt. Optandum igitur ut haec, si in posterum liber edatur, emendentur vel expungantur.

Iterum Officinae librariae Plon gratulamur, quod opus a C. W. Ceram inceptum, in eventum prosperum perduxit.

JACOBUS M. SIDERA, C. M. F.

BIBLIOTHEK DER ALTEN WELT-LUCREZ, *Welt aus Atomen, De rerum natura*. Lateinisch und Deutsch neu übertragen und eingeleitet von Karl BÜCHNER, Artemis Verlag, Zürich, 1956.

Nobile illud Lucretii poema *De rerum natura* quod saepe est editum, saepe in hujus aetatis linguas conversum ac notulis illustratum, in Aedibus Artemidos, cujus antiquita-

tis Bibliotheca summis laudibus nobilitatur, modo evulgatur.

Lucretius praestans nobilisque poeta, quanquam interdum intellectu difficilis sive ex ipsius sententiis sive ex dubio textu, semper tamen viris eruditis et antiquae philosophiae vacantibus magni momenti est et impenso studio. Dr. C. Büchner — qui quidem multa de litteris latinis romanisque scriptoribus in vulgus emisit — libros *De rerum natura* iterum excudere voluit eosque translatione germanica metrica ornavit. Quae ad poetam ejusque opus pertinent amplo prooemio pertractantur et illustrantur (pp. 7-66); desiderantur tamen notae criticae et emendationes probabiles quae ab eruditis viris, ut «textus» poetae clarior evadat, proponuntur.

Opus tamen egregium suscepit exarandum C. Büchner, cum libri *De rerum natura* multis implicentur difficultatibus.

J. M.

OVID. — *Metamorphosen*. Jubilaeumsausgabe zum 2000 Geburtstag; herausgegeben und übersetzt von Hermann BREITENBACH. Artemis Verlag, Zürich, 1958; 1220 pp.

Ovidius, cujus memoria et nativitas bis millesimus anniversarius annus hoc pulcro volumine commemoratur, fuit apud Romanos versuum artifex praestantissimus nobilisque poeta. Quae posteris reliquit carmina uberrimam poetae facundiam venamque ostendunt. Metamorphoseon libri XV multis illustrantur fabulis — ad ducentas quinquaginta numerantur — quae hac quoque nostra aetate his, qui mythicas veterum narrationes fabulasque persequuntur amantque legere, admodum erunt oblectamento.

Cl. Prof. Breitenbach, philologus helveticus, hanc novam comparavit editionem Ovidii in qua multae praevalent virtutes; nam in primis textus latinus in linguam germanicam metrica translatione convertitur et ornatur,

quae multis —ut fama est— probatur doctis germanica lingua viris; in praefatione (p. VI-XXXV) praecipua, quae ad Ovidium poetam ejusque carmina spectant, illustrantur; «textus» vero prudenter constituitur et selectis opportunisque adnotationibus enodatur; amplissimis denique indicibus (a pag. 1118 ad 1219) totum opus multis curis exaratum absolvitur; quod quidem inter praecipua monumenta commemorandae nativitati Ovidii poetae erecta, est recensendum.

J. M. MIR, C. M. F.

MARTIAL. — *Epigramme*; eingeleitet und in antiken Versmass übertragen von Rudolf HELM. Artemis Verlag, Zürich, 1957; 644 pp.

Eadem ratione eademque pulchra exhibitione Martialis Epigrammata in Aedibus Artemidos excuduntur apta conversione germanica ornata. Nemo est qui vim virtutemque Martialis poetae ignoret in describendis hominum notis eo nitore et acuto sale quo semper est instructus et ornatus. Illum magistrum ducemque fuisse in eo genere multis claris viris posteriorum aetatum plane constat.

Hoc tamen volumine translatio germanica tantum continetur; quod quidem incommodum erit legentibus, qui «textum latinum ibi fortasse quaerent; quod si hic non editur ut «textus criticus» non nulla epigrammata a legentium oculis et animis aptius erant removenda.

J. M. M.

FRISK, HJALMAR. — *Griechisches etymologisches Wörterbuch*, C. Winter, Heidelberg, 1958. Lieferung 7.

In libraria officina Caroli Winter volumina eduntur praestantissima in iisque selecta linguarum lexica. Lexicon graecum, cujus fasciculus primus anno 1954 prodiit, nunc septimo completur fasciculo, quo vocabula continentur ab ἐστὼ ad θῦς, paginis vero 577-672. In eo, quae in aliis lexicis et recentiorum auctorum scriptis studiose sunt investigata et perscrutata, strictim referuntur. Verborum praecipue origines notantur falsaeque reiclun-

tur, et ea, quam cum aliis linguis et cum latina praesertim conjunctionem singula verba habeant, saepissime significatur.

J. M. M.

MARACHE, R. — *Mots nouveaux et mots archaïques chez Fronton et Aulu-Gelle*. Presses Universitaires de France. Travaux de la Faculté des Lettres de Rennes; pp. 295.

Summam impendere curam in verba deligenda quasi caput esse doctrinae litterariae Frontonis et Auli Gellii hujus libri scriptor contendit atque probatis argumentis confirmat.

Non tantum instituta moresque veterum Romanorum investigarunt Fronto et Aulus Gellius, sed in delegendis detegendisque priscorum verbis diligentissimi fuerunt. Frontoni maximi habentur scriptores illi qui «verba insperata et inopinata» adhibent, Aulusque Gellius in eandem cum magistro convenit sententiam.

Doctrina igitur Frontonis Horatii doctrinae adversatur; ille enim omnia verba rara et diu ab usu intermissa recipit, libenterque usurpat; Horatius vero necessitate tantum compulsus novum fingit et inducit vocabulum.

Dr. Marache absoluto indice verba recenser archaica et nova quae apud illos scriptores leguntur. Archaica illa sunt habenda quae Sullae temporibus usu recepta sed aetate scriptorum aurea ab usu sunt remota; in novis vero recensendis verbis diligens cura est adhibenda, eaque ex derivationis et compositionis ratione qua sunt facta, referuntur.

Sed hujus libri scriptor non meram affert verborum recensionem sed et rationes quibus novas et priscas voces inducant scriptores pervestigat, quod ut aptius assequatur non vocem et locum tantum memorat sed plenam sententiam praebet qua tota scriptoris mens percipiatur. Ex quibus efficitur Frontonem Plautum et Catonem insecutum esse in novandis verbis, qui maximi fuerunt verborum effectores. Neque tamen in ea a Plauto et Catone parata et instrata via, neque in severiore classicorum ratione se continuerunt Fronto et Aulus Gellius, sed cadenti latinitati viam aperuerunt.

Quicumque necessitate constricti —nostra in primis aetate qua tot cottidie reperuntur res novae, quae novo sunt nomine appellandae — novas procudere debent voces latinas, hunc librum in manibus habeant oportet ac diu multumque meditentur ut justam novandorum verborum doctrinam teneant ab eaque non recedant.

J. M. MIR, C. M. F.

SCHUSTER M · HANSLIK R., — C. *Plini Caecili Secundi Epistularum libri novem, Epistularum ad Trajanum liber, Panegyricus*, Lipsiae in Aedibus B. G. Teubneri, MCMLVIII, p. 490.

C. Plinii Secundi quae supersunt opera quaeque Mauritius Schuster olim recensuit, iterum domus Teubnerianae prelo et expensis hac tertia editione castigatissime a Rudolpho Hanslik curata, in lucem edita sunt atque vulgata; nam, ut ipse (p. 490) ait: «textum non solum correxi, sed etiam compluribus locis emendare conatus sum. Sed ut studia Pliniana, in quae viri docti ultimis annis multam operam ac curam impenderint, codicibus denuo collatis novam editionem ipse praeparabo». Dum promissa spectamus, novissimis hujus editionis fructibus delectemur; quos studiosissimi Plinianorum operum lectores quin percipiant et degustent praeterire non poterunt, si hoc pulcherrimum volumen recenter vulgatum avida manu evolvant.

In praefatione de codicibus, quibus ad aetatem nostram opera Plinii pervenisse constat, critica ratione et via M. Schuster subtilia et accurata verba facit (p. III-XXI). Dein e magno editionum numero memorabiles tantum enumerantur, addito quoque indice perutili disputationum, adnotationum, commentationum, librorum qui triginta annis novissimis sunt divulgati (p. XXII-XXX).

Opus maxime lectoribus commendamus qui purum castigatumque textum Plinianum legentes memorabilibus illis litteris frui exoptent quibus Plinius de se suisque rebus amicis loquitur vel clarorum virorum ut Martialis nostri notitias refert vel vividis coloribus villas ut Laurentinam illam, loca, itinera, terrae

perturbationes, mortem avunculi sui ceteraque elegantissimo et concinno stilo narrat atque describit.

M. MOLINA, C. M. F.

RODRÍGUEZ, J. — *Clase de Lectura y Declamación*, p. 458, Gráficas Miramar, Palma de Mallorca, 195.

Laudandus sane Professor J. Rodríguez qui adeo scite prudenterque ex optimis scriptoribus hispanicis optima quaeque excerpit fragmenta ut alumni Seminariorum et Collegiorum Religiosorum in legendo et declamando sese exercitantes magnum ex his fructum utilitatemque percipiant. Quod propositum laude et merito cumulari oportet, praesertim cum ex tot tantisque apud hispanos «anthologiis» litterariis fere nullam forsitan putemus sine ulla haesitatione et religione manibus hujusmodi alumnorum, qui in sacra altaria aspirant, tuto concedendam.

Quam ob rem vera lacuna rimaeque hoc opere expleantur. Haec excerptorum exemplorum collectio ita dividitur: Introductio seu animadversiones ad scholam lectionis et declamationis rite habendam (p. 1-9), Descriptionum (p. 15-117), Narrationum (p. 119-217), Epistularum (p. 218-223), Disputationum diurnarum (p. 235-265), Orationum (p. 266-382), Scaenicarum actionum (p. 383-444) quamplurima specimina et exempla. Operi alphabetico rerum et auctorum indice utilissimo finis imponitur.

Collegae, ergo, in munere docendi benigne — id certo non dubitamus — opus accipient, quod his qui praecones et nuntii Verbi Dei in Ecclesia esse volunt, haud parvo erit adjumento.

M. MOLINA, C. M. F.

TESCARI, ONORATO. — *Sintassi Latina*. Società Editrice Internazionale, Torino, 1957.

Hoc cl. viri Honorati Tescari, quod *Palaestrae Latinae* lectoribus libenter offerimus, opus, «non é destinato — inquit auctor — alla scuola secondaria, ma agli studenti universitari e agli insegnanti».

Quare, en duplex praesertim finis quem eximius auctor sibi proposuit atque optime

est assecutus: Ut alumni classicis litteris sese perficere possint et professores – sapienter ordinateque dispertitam— materiae copiam habeant ad ea supplenda quae Grammaticae desint.

In opere hoc multa sunt notanda. Sed in primis, sic nobis videtur, compositio tota seu operis constitutio nobis laudanda est, quia ea intrinseca maxime pollet laude et virtute ut omnes et singulae partes sive elementa, quibus «Latina Syntaxis» constat, Ciceronis praesertim et Caesaris aliorumque scriptorum et poetarum latinorum verbis copiose sint roborata atque nitida claritate collustrata. Neque exemplis plurimis illustrata tantum, sed ita verborum classicorum scriptorum vis tota singillatim et enodatissime explicata atque ponderata ut ex exemplis ipsis «Latinae Syntaxis» regulae et usus deducantur.

Ideo inter tot tantasque de «Syntaxi Latina», quas perlegimus tractationes, fere nulla ut hac cl. doctoris H. Tescari adeo probata est nobis.

Quare maximas eximio auctori rependimus gratias atque S. E. I. quae hunc maxime accuratum librum in lucem edidit.

J. ARAMENDIA, C. M. F.

LABRIOLLE P. — *La Cité de Dieu, Saint Augustin, texte latin et traduction française avec une introduction et des notes*, vol. premier, Classiques Garnier, p. I-XXIV, 1-572, 1957

PERRET, J. — *La Cité de Dieu, Saint-Augustin, texte latin et traduction française avec une introduction et des notes*, vol. second, Classiques Garnier, p. I-XXXII, 1-543, 1946.

Primum volumen hujus operis «De civitate Dei» quod «Editiones Garnier» Parisiis in lucem vulgandum tradiderunt, gallica interpretatione, introductione notulisque sapienter collustratum, totum est a clarissimo Professore Sorbonensi P. Labriolle exaratum. De operis auctoritate atque momento nemo est qui non-

nihil ambigere audeat, cum sapiens egregius, historicus acerrimo sensu critico praeditus, antiquitatis patristicae atque sensuum et cogitatorum religiosorum nobilis investigator haud dubia eruditorum trutina magni pensetur. Qui laudandum inicit consilium tradendi doctrina excultis hanc miram Sancti Augustini summam quae «De civitate Dei» inscribitur, ubi cultus et cogitata ethnicorum cum christianorum gravissimis illis – quasi «trivio historiae» – temporibus conferuntur. Primo volumine exarato, cum totus in alterum conscribendum incumberet clarus Professor e vita decessit quin opus omnino perficere posset.

Alterum ergo volumen labor exstat eruditissimi quoque viri J. Perret, qui vestigiis P. Labriolle ingressus eadem via ac ratione eorumdemque principiorum observantissimus, a primigenia operis indole nihil deviare nititur.

Utrumque volumen eleganter editum, textus latinus scite castigatus, recentiore ac venusto in dicendo sensu gallice interpretatus, introductionibus ad plenorem legentium notitiam rerumque cognitionem praemunitus, notulis ad obscuriores locos enodandos collustratus. Magnae erit iis qui legerint utilitati prooemium primi voluminis (p. I-XXXI) a P. Labriolle conscriptum, ubi de operis compositione, de argumento, de origine et significatione vocis quae est «civitas», de rei publicae seu vulgo «status» natura apud Divum Augustinum, de «philosophiae historiae» ceterisque rebus, qua pollet auctoritate, fustus et subtiliter disserit.

Quos profecto non latet quantis difficultatibus irretiantur qui vernacule augustinianum genus dicendi interpretari audeant, quam arduum sit hoc interpretum munus, quam plenae vivacitatis excurrant locutiones, quantum Divo Augustino placeant parallela verba inter se consonantia, quamque alia plurima interdum interpreti renitantur ut in vernaculum eumque recentiore sermonem vix possint converti, hanc interpretationem grato animo erga interpretes non laudare non poterunt.

M. MOLINA, C. M. F.

LAIS HERMANN. — *Problemas actuales de la apologética*. Versión española por Eduardo Valentí. Editorial Herder, Barcelona, 1958. 12'5 x 20'2 cm. 278 pag. 64 ptas.

Hoc opere praecipua illa in Apologetica themata continentur, singulari cura et diligentia selecta, quae in praesentiarum mentes atque disputationes sapientium maxime concitare videantur. Mens quidem scriptoris, praeclari viri L. Hermann, in eo scilicet est: ut harum quaestionum penitam naturam enucleet, ut in comperto, immo quasi in oculis promat statum hodiernum earundem in discrimine artis criticae; ut obvias atque faciles solutiones, una cum difficultatibus quae ex iisdem enascuntur, agitet et evolvat.

Totus in quattuor partes liber dividitur: *Situación actual de la apologética* (pp. 9-48); *Problemas de la apologética general* (pp. 49-102); *Problemas de apologética cristiana* (pp. 103-196); *Problemas de apologética católica* (pp. 197-254)

Notulae non nullae consequuntur ut textus eruditus finiat (pp. 255-268); atque commodi indices et nominum et rerum (pp. 269-278). Praefatio eximii Professoris Dogmaticae et Apologeticae in facultate Philosophiae et Theologiae, Dilingae ad Danubium, elaborata atque rei omnino consentanea (pp. 7-8). Modesti sane ingenii ea auctoris vox: «Quod ipse lector callebit, haud facile semper solutiones certas absolutasque omnibus in quaestionibus condere».

Volumen hoc, *Problemas actuales de la apologética*, si quid mei est iudicii, maximae erit aestimationis sacerdotibus et laicis; cum professoribus Seminariorum, Studiorum Universitatum Institutorumque, tum viris intimi spiritus religiosi, qui propriam avent fidem collustrare responsionibus vere aptis iis objectionibus, quae in usu sunt nostris «saeculi luctus» temporibus.

Nihil mihi restat de perspicuitate et nitore translationis, a claro viro E. Valentí concinne exaratae; nihil de nitida libri externa exhibitione: quod alias, domus editrix Herder princeps typographiae ibi apparet.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

ALBERT, ANTON S. J. — *Ungido y Enviado*, reflexiones para sacerdotes, traducido del alemán por el Rdo. P. Rufino Velasco, C. M. F. Edit. Herder, Barcelona, 1958, pag. 152.

His considerationibus, quae sacerdotibus proponuntur et fructus muneris pastoralis exstant ex novissimis illis annis dispersionis Germaniae Centralis superiore bello europeo, P. Albert S. J. ostendere nititur quatenus notae singulares seu virtutes sanctitatem sacerdotii catholici constituent; excitat simul et confirmat sacerdotes ut ea intima sanctitas in eorum habitu et labore luculenter prodatur et patefiat.

Optulari quoque scriptor vult sacerdotibus, humili ratione cottidiana vivendi et animi solitudine laborantibus, laetam vocationis vitam eos vivere inducens. Hae considerationes ad officia et munera sacerdotalia spectant eisque nonnulli Sacrarum Scripturarum loci, in primis de vita Domini, pie explicantur et evolvuntur.

Quamquam in difficillimis adjunctis bellum sequentibus liber est conscriptus, tamen quilibet sacerdos qui nostris temporibus sacro ministerio vel in facillimis adjunctis ut in nationibus potissimum catholicis fungatur, opere «Ungido y Enviado» inscripto in memoriam reducere facile poterit et virtutes et labores fratrum sacerdotum qui quasi fidei catholicae antesignant jure omnibus habentur.

M. MOLINA, C. M. F.

JAAKKO SUOLAHTI. — *The Junior Officers of the Roman Army in the Republican Period*. A study on social structure. Suomalainen Tiedeakatemia. Helsinki, 1955, pg. 439.

Cum hujus operis auctor legeret quae a patre investigata erant de clericis prout in societatem Fennicam constituendam contulissent, et ipse investigare animum induxit quomodo et quantum Juniores Praefecti militum in Romanorum rem publicam condendam et conformandam contulerint. Quod quidem perfectit rem totam exhaustiens. Cujus materiam ut quaereret et inventret nulli pepercit labori et sumptui, nam bibliothecas et tabularia pu-

blica et privata, et musea est ingressus, peregrinationes aggressus, in colloquia cum harum rerum peritissimo quoque viro colloquia instituit, omnia diligentissime perscrutatus. Gratum animum exhibet auctor, praeter plurimos eosque eruditissimos viros et illustres Societates, Pio XII Pontifici Maximo qui sibi sumptus suppeditavit ut res vel in ipsis eventorum et documentorum locis pervestigare posset.

Quantum in hoc opere insudaverit auctor metiteris si enormem librorum indicem legeris, quos ille contulerit et consuluerit. En operis brevissimus conspectus: Tribuni militares: eorum origo et evolutio, officia et privilegia, electio et eligendorum condiciones, socialis origo sive patricius erat sive plebejus sive equester, unde seu quibus ex locis originem duxerint. Deinde, eadem ratione et via, quae ad praefectos pertinent et ad Viros Navales studiosa investigatione perquirat.

Omnia tamen ita pertractantur et aestimantur ut quaestionem ad umbilicum adductam merito censeas. Academia Scientiarum Fennica rem omnibus dilaudandam fecit huic viro illustrissimo opem auxiliumque praestando.

A. S. F., C. M. F.

J. VERDYCK - C. GROENINCKX - J. MICHEL. — *Via Nova*. II. *Manuel de Latin pour la cinquième*. Textes - Grammaire - Exercices - Vocabulaire. Adaptation française par A. Jacques Michel. Editions De Sikkel, S. A. 116, Lamorinièrestraat, Anvers, 1957.

Via Nova. III. *Manuel de Latin pour la quatrième...* De Sikkel, Anvers, 1958.

De *Via hac Nova* fusius in his commentariis verba feci cum primum volumen manibus mihi versare licuit. Nunc jam licet et alterum et tertium versare volumen, quae tertio et alteri latinitatis cursui seu anno respondent. Pauca mihi his quae tunc dixi sunt addenda. Nam Auctores uno eodemque tenore rationem quam sibi sequendam proposuerant, certo pede persequuntur nihil a proposito recedentes.

In altero volumine inseruntur loci e Titii Livii, Ciceronis, Sallustii, Caesaris libris selecti, quibus non modo regulae grammaticae lectionis usu exercendae proponuntur, sed etiam historia romana ad extremam rempubli-

cam alumnis conspicienda praebetur. Quinta quaque lectione romanorum dies, religio, exercitus, magistratus et quomodo Gallia romana facta sit sat fuse describuntur. Adduntur in extremo opere quaedam Phaedri fabulae, notulis instructae aptis.

In tertio libro et auctorum scripta supra memoratorum afferuntur, et aliorum adduntur Taciti, Suetonii, Senecae, Plinii Junioris, quibus scriptis historiae etiam romanae a Bello Gallico ad Trajanum conspectus legentium oculis subicitur. Inseruntur praeterea consilia quaedam ad recte in patrium sermonem latinum convertendum, quaedam etiam de servis, de calendario, de horologiis, de viis, de itineribus et peregrinationibus apud veteres. Hic tertio volumini non additur rei grammaticae summa contra ac in primo et in altero factum erat. Si me consulas, addendam esse arbitrari, quae enim semper e memoria excidunt, opportune et importune memoriae oculisque sunt obicienda.

Utrumque volumen scitis pulcherrimisque ornatur tabulis photographiis quibus et libris praestantia additur et elegantia, et rei expositae oblectamentum, jucunditas, delectamentum.

Praestantissima haec *nova est via*, cum alumnis statim in medias res, idque jucunde, celeriterque, immittat suaviterque manu ducat.

G. GOUGENHEIM et A. MASSON. — *Latin*. Grammaire de base. Vocabulaire de base. Classe de Sixième. Avec la collaboration de Mme. M. Gougenheim et Mme. M. Th. Masson - Le Bon. M. Didier, éditeur, 1957. Pg. 332.

Hac usus grammatica, inventi aptissimam pueris in lingua latina erudiendis eisque ad humanitatem informandis veterumque cultui instituendis. Nam clarissima est concinna rerum dispositione, et perspicua expositione et exercitiis sollertissime ordinatis et sagaci vocum memoriae mandandarum selectione et varia tabularum vel photographiarum vel delineatarum copia et ipsa typorum varietate. Nec quicquam aliud addam, non enim meliora dicere possum aut majora. Dicam tamen nos vehementer expectare alia hujus grammaticae volumina.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

PALAESTR *adulescentium*

SCHOLARES LINGUAE LATINAE COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Pretium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARCELONA

Pretium in Hispania: 15 pesetarum

Extra Hispaniam: 20 pesetarum

ANN. IV — (FASC. IV) — N. 16

M. DECEMBRI

A. MCMLVIII

LUGETE, PUERI, LUGETE!

Pius XII Pontifex Maximus, cui adeo in deliciis vos fuistis, e vita nobis decessit! Hos tantum flosculos in vestra illius memoria servate.

Quodam die festo Candelarum pueri romani Pium XII adeunt cui pulcherrimam candelam floribus stellisque venuste ornatam offerant. Summi Pontificis alba figura apparet. Paterno animo pueris bene dicit eosque vult alloqui... sed prae animi permotione non potest. «Sinite —inquit aulicis— sinite pueros ad me venire»... Pueri strictius densantur, manibus sponte junguntur, choream circum Sum-



mm Pontificem tenerrimo ore subridentem moderate ducunt cantilenam scholarem concinentes.

Quodam etiam cum Summus Pontifex jam jam Vaticanum esset ingressurus, puella palatinos custodes illudens ante sellae pontificiae gestatores constitit cum lutea puppa ut haec benedictionem a Summo Pontifice acciperet. Pius XII gestatores aliquantulum morari jubet, puppam ipse manibus suscipit puellaeque benignissime bene dicit, cui tandem puppam reddit.

Tanta in Summo Pontifice Pio XII erga pueros inerat humanitas et dilectio!

JOANNES ET PHASELI MAGICI

Puer, cui nomen erat Joannes, olim in parvo tugurio cum matre vivebat. Qui, quamvis in omnium rerum penuria essent et aliquando nec satis ad edendum haberent, vaccam tamen, quae lac illis praebat, habebant. Sed quodam die, mater:

—Escam, inquit, non habemus, fili mi, nec plus restat argenti. Vaccam ergo vendere debemus; cras, exsurgens mane, vaccam in nundinas adiges eamque vendes.

Cum ergo postero die Joannes diluculo in nundinas, vaccellam adigens, proficisceretur, senem in via est assecutus: —Formosam, mehercule, vaccam! Eam emere volo.

—O! Tune? Quanti emes?

—En tibi phaselos, qui cum magici sint, opem adipisceris.

Itaque Joannes seni vaccellam senexque Joanni phaselos dedit. Ubi Joannes domum rediit, mater:

—Optime est, inquit, fili mi; vac-

camne in nundinas adduxisti?

—Minime, mater; vaccam in nundinas non duxi, sed seni, quem obvium inveni, vendidi.

—Et quid tibi pro ea dedit?

—Ille nullum sane argentum pro ea mihi dedit...

—Nihilne argenti? Quid dicis? Nullumne argentum domum attulisti?

—Nullum, mater; senex hos dedit pro vacca phaselos, magicos esse nobisque opem allaturos affirmans.

—Quid! Istumne hominem vaccam nostram arripere tibi que phaselos istos dare permisisti? Demens videris! Nunc neque escam neque argentum neque vaccam habemus. Puer es pessimus, Joannes. Istos da phaselos. Per fenestram dejiciam. Ecce... Et nunc in lectum abiit... —Itaque Joannes in lectum, nihil cenatus, quamquam acriter esuriebat, abiit.

Postero die, prima luce, cum e somno excitatus est, cubiculum perobscurum erat. Cumque, fenestram appetens, hortulum inspexisset arboremque in hortulo intuitus esset altissimam —quae quidem, cum in lectum abierat, ibi non erat—, magno opere obstupuit. Et domo egressus, iterum arborem aspiciebat, quae quidem maxima erat arbor, tam alta ut in caelum excrescens culmen videre non posset puer. Diuque cum inspexisset: —Quid, inquit, sit, nunc scio: enormis est phaselorum frutex. Merito senex phaselos magicos dixit; et nunc quae sint ibi, dum mater dormit, ad culmen visurus conscendam.

Joannes ergo adrepens ascendere coepit. Adrepsit multum multumque ascendit et tandem phaselorum fruticis superat culmen. Et primum ecce



vidit ingens castellum quod ob famem statim petere constituit, quippe qui obsonium a castellanis datum iri sperabat. Cum in castellum pervenit portam pulsavit statimque porta est a muliere aperta, quae dixit: —Quis es et quibus egēs? —Esurio, domina, quid escae da mihi, Joanni.

—Bene est, Joannes. Cujus sit hoc castellum nescis?

—Nescio, mulier.

—Scito ergo gigantis esse castellum, cujus ego uxor sum, qui te, si invenerit, vorabit. Quamprimum ergo abire debes.

—O mater, quid escae, antequam ille venerit non dabis? Valde esurio.

—Optime est; ingredi ergo; sed properandum est tibi, gigas enim statim veniet.

Itaque mulier, postquam Joannem in castellum ingressum ad conclave amplissimum duxit, quid attulit escae. Dum vero Joannes comedit, vox extra castellum audita est tremefaciens: —Hu, hu, hu, hu! Sanguis hinc olet Britanni!

Gigantis uxor ad conclave properavit et: —Gigantis est vox, inquit, qui te, si invenerit, vorabit. Ilico abacum occupa, portamque ego claudam.

Itaque Joannes abacum ingressus est et gigantis uxor porticulam clausit. Tunc quoque Joannes gigantis vocem in conclave ingressi rursus audivit: —Hu, hu, hu, hu! Sanguis olet Britanni hic.

Joannes maxime metuebat; sed gigantis uxor viro suo:

«—O, nequaquam, inquit, minime britanni hominis sanguinem olfacis. Nullus enim britannus adest. Quod olfacis obsonia sunt quae tibi coquo. Cum sedebis, afferam. Itaque giganti sedenti esca apposita est; cumque gigas cenam edisset, «gallinam, inquit, quae aurea ponit ova, affer».

Joannes vero gallinam inspicere desiderans armarii leviter porticulam aperit, et vasti corporis ad mensam intuitus est gigantem, atque grandem in mensa gallinam, quam, dum inspicit, videt ovum aureum gignere gigantemque in vestibus illud abscondentem. Sed cum fessus esset gigas, somno oppressus, obdormivit. Tunc Joannes, ex abaco egressus, mensam appetit gallinamque manibus caute arripiens, castelli portam quaeritat. Gigas vero expergefactus eum persequitur. Joannes, quam celerrime currens, summum fruticem adeptus subrepens, descendit; sed cum fruticis gigas etiam attigisset culmen, Joannem insequens descendebat. Sed Joannes velocius quam gigas descendit et cum primum humi fuit, in turgurium ingressus, securim invenit. Tunc fruticem Joannes succidit, quo in terram prolapso, gigas occisus est. Tum matri Joannes gallinam dedit, quae aurea pariebat ova. Itaque in posterum satis habebant argenti satisque cibi.

R. BILBAO EGUSQUIZA, C. M. F.

Haec fabella, annuente Editore Anglico London Calling Europe et English by Radio Departament, BBC London, editur. Utrique maxiam referimus gratiam.



LUCUMO SEU L.



1. Anco regnante, Lúculo, vir impiger ac divitiis potens, Romam peregrinus commigravit cupidine ac spe magni honoris. Cum ab Etrusci sperneretur, cum uxore Tanáquile amigrant Romam.

2. Cum ad Janiculum ventrent ei, carpento sedenti cum uxore, aquila leniter demissa suspensis alis, pilleum aufert superque carpentum cum magno clangore volitans, rursus, velut ministerio divinitus missa capiti reponit. Id augurium Tánauquil laeta dicitur accepisse.

3. Lúculo Romae sibi I. Tarquinius Priscum edidit nomen. Divitiae, benignum alloquutum, comitas, beneficia Romanis eum conspicuum fecerunt. Cum in regiam quoque de eo fama perlata esset, rex in familiarem amicitiam duxit et tutorem liberorum testamento instituit.

4. Cum filii Ancl prope puberum aetatem essent, Tarquinius magis instabat ut quam primum comitia regi creando fierent. Quibus indictis, pueros venatum ablegavit. Isque primus et petisse ambitiose regnum et orationem dicitur habuisse ad sibi conciliandos plebis animos. Eum populus Romanus regnare iussit.

TARQUINIUS PRISCUS

5. Virum egregium, quam in petendo regno habuerat, etiam regnantem ambitio secuta est. Bellum primum cum Latinis gerens, oppidum Apiolas vi cepit. Ludos opulentius quam priores reges fecit. Circo, qui maximus dicitur, locum designavit, ubi spectacula et ludicra equorum et pugilum haberentur.

6. Muro lapideo circumdare urbem parabat, cum Sabini Romanos subito petierunt. Magna utrimque caede pugnatum est. Hostes in castra copias reducerunt. Tarquinius, equitem maxime vires deficere ratus, alias centurias addere constituit.

7. Attus Navius, inclitus augur, sine auguriis id fieri posse negabat. Rex ira motus, ut ferunt: «Agedum —inquit— divine tu, inaugura fierine possit quod nunc mente concipio». Cum ille augurio rem expertus profecto futuram dixisset: «Atqui hoc animo agitavi —inquit— te novacula cotem discissurum».

8. Tum illum haud cunctanter discidisse cotem ferunt, quam ad statuum Navii quoque sitam fuisse memorant, ut esset ad posteros miraculi monumentum. Auguriis certe sacerdotioque augurum tantus honor accessit, ut nihil belli domique postea nisi auspicio gereretur.



AMICI QUOQUE IN MORTE

(FABELLA)

I

Nox appetebat cum Lucius ad viridarium assidens occidentem solem prospiciebat. Surrexit subito et ad januam cucurrit. Ubi dextram dextrae cum amico junxit. Cajus ei dixit: «Salve, Luci». — «Et tu, Cai», respondet Lucius.

Et viridarium petierunt. Ibi hunc conseruerunt sermonem: «Quomodo res Romae?». — «Optime procedunt — summissa voce dicam —, Senatus triumphum patri meo victori decrevit. Qui laetus mihi dixit se, cum triumphum egerit, iturum in Galliam Cisalpinam venatum; omnia triduo parata erunt...». — «Heus, optime Cai, re vera triumphum patri decretum est?». — «Ita prorsus; dixitque se cras venturum, qui melius omnia instrueret atque pararet».

II

Tribus post diebus, prima luce, sexaginta ferme equites et centum servi cum curribus mulisque urbis portas transierunt. Itinere biduo confecto, hoc consilium ceperunt, se duobus servis qui fortissimi atque audacissimi essent selectis, in montes ituros ut ursum in antro latentem occiderent, qui — ita a sene quodam saepe narrante acceperant — ibi esset multosque vorasset.

Cum haec parentibus dixissent, eorumque accepissent veniam, servos secum adduxerunt ac montes, pharetris sagittarum plenis animisque magna cogitantibus, petierunt.

Triduo iter fecerant cum ad asperijugi radices pervenerunt. Tabulam geographicam Lucius inspexit, dixitque Cajo: — «Hic est, paululum requiescamus; tem-

pus non nobis terendum est; si, quo animi studio urar occidendi ursum, scires...». Dum sagittas ad abietem servi acuebant et faces parabant, sic Cajus Lucio locutus est: — «Ego cum Tirone, majore natu servo, in cavam rupem progrediar, tu foris cum Pomponio manebis, ut si facum flammis ursus deterritus, se in fugam prorripuerit, fugam intercludatis.

III

Lucius duobus horis exactis, cum se continere non posset, facem gladiumque sumens in antrum contendit. Repente fax in saxum collisit et exstincta est.

At nulla timens discrimina, ducentibus saxis, processit. Cum tutum se omnino putabat, jaculantis arcu mortali ictu percussus est. Lucius humi procubuit et summo oppressus angore, clamavit: — «Hei mihi...». Accedunt venatores manibus ferentes taedas. — «Lucius est!» conclamaverunt. Quid acciderat?...

Cajus et servus extremam caveam attigerant cumque nihil invenissent, arbitrati sunt, aut ursum nondum regressum aut facum luce territum delituisse.

Haud multum progressi, strepitum lapidum audierunt. Ursum existimantes esse magno in saxo subsederunt, facibusque celatis, arcum Cajus intendit et cum illum proximum ex stridore cogitavit, nervum dimisit et cor amici sagitta transfixit.

Terrore angoreque Cajus oppressus amici adductus amore aliam eduxit sagittam et clamans: — «Occidi te, Luci, sed tecum morior», suum in cor illam infixit.


Finxit: *Carolus Latorre*
V. i cursus alumnus.

AENIGMATA



Tres discipuli: C. Kocco, M. De Luca. J. A. Proia, lingua latina usi capita I, II, III, operis «De legibus» gerunt; quorum magister est Amadeus Pacitti, Arcis, in Italia.

...ET VETERA RENOVAMUS



Corsetti discipulus Ovidii, infelicissimi poetae, personam gerit. Arcis, in Italia, a. d. XVI kal. Julias, a. MCMLVIII: quo die sollemnis frequensque habitus est coetus, cui nobilissimi adfuerunt doctores...

1. Pedes non habens curro, digitis carens anulos fero.
2. Quo, majus est, eo minus videtur.

*Coepta perfice!
 Deum colit, qui novit
 Ferro nocentius aurum
 Semper aliquid haeret*

3. Quisnam intra aviae viscera sepultus est?
4. Folia habeo nec arbor sum, loquor et homo non sum.

JUPPITER FULGURANS

Cupressum de caelo tactam radicitusque evulsam sculptor emit ex qua Jovis simulacrum confecit perfectumque venale produxit. Quod cum rusticus, qui cupressum vendiderat, vidisset, malitiose subridens: —Jactas fulgura, inquit, fulgure prostrata.

PIUS PIAZZA, Ord. Carm.

Messanae, in Italia.

CONGRUUM TELEGRAMMA

Litterarum studiosus, pigerrimus, notulis pessimis acceptis fratri Friderico telegramma misit: «Friderice, praepara patrem, quaeso». Cui Fridericus statim respondit: «Pater est paratus, praepara te...»

In Germania.

DR. DOLD, parochus.

IN VETUSTO CURRU AUTOMOBILI

Viator ad exactorem. Quanti est? —Duodetriginta libellis. At ille: —Tantine?, inquit, non enim currus pretium sed itineris rogavi.

JACOBUS SÁNCHEZ.

V. i. cursus alumnus

REUS RECIDIVUS


Judex dure appellat reum recidivum: —Septimum decimum te video in hoc reorum scamno.

—Placide, placide, inquit reus, o praeses: anni sunt cum te video semper in eadem sedentem sella. Sed nunquam mihi in mentem venit id tibi dare crimini.

In Germania

A. AVENARIUS.

VIGIL, IN LOCO PERSTA!



—Noli oblivisci. Cras hora septima me expergefacs.

J. M. E.

MEL IN CATINIS

Mater. — Josephe, pete tabernam et eme duas libras mellis; sed duobus catinis impone.


Filius. — Cur autem duobus si uno catino totum mel contineri potest?

Mater. — Nam si totum uno catino feras, altera manus libera tibi restat quam in catino immittas.

J. GÓMEZ
V. c. alumnus

PECTEN

a) b) c) d)



a) Orna. c) Dea Discordiæ
b) Clara d) Locata

P. CODINA
Philosophiæ alumnus

ABACUS VENEFICUS

1	2	3	4	5	6
7	8	9	10	11	12
14	15	16	17	18	19
21	22	23	24	25	26
28	29	30	31	32	33
34	35	36	37	38	39
41	42	43	44	45	46
47	48	49	50	51	52
53					

Sartoris instrumentum (*gen.*) 17 45 23 31

21 9 15 50

Scriba 1 18 20 43 33 30 48 8

Eiclo 12 2 9 48 53 25 32

Aerumna 3 5 51 40 6 38 7

Scatebrae 47 13 39 53 35 6

Praenomen romanum (*dat.*) 28 48 7 42

16 22

Nego 19 52 24 29 4

Fulges 11 49 34 10 37

Meta 14 41 46 27 26

Consonans 44

P. CODINA
Philosophiæ alumnus

IN VINO VERITAS

Judex. — Tu audes huc venire, postquam tantum vini bibisti?

Testis. — Bibi, ut verum dicerem.

SOLUTIONES

(Cfr. PALAESTRA LATINA, 1958,
fasc. III. pp. 436, 443, 444)

AD SALTUM EQUI: «Verae amicitiae sempiternae sunt» (CICERO).

VERBORUM AENIGMA. — *In transversum:*
1) I. 2) Ara. 3) Prave. 4) olmeatP. 5) xelU.
6) Ruit. 7) Penas. epraC. 8) suR. Tum. 9) Similis. 10) Sis. 11) A.

Ad perpendicularum: 1) P. 2) Sex. 3) Oenus.

4) Pilaris. 5) Armus. Mas. 6) Irae. Illa. 7) Avare. Lis. 8) Eruptio. 9) Pirus. 10) Tam. 11) C.

RERUM AENIGMA (Sub pag. (31) 443):

«Portamus calceum novum».

SOLUTIONES MISERUNT: M. Escura, B. Beltrán, quibus praemia mittuntur.

Fr. Joannes a Deo Martínez, O. F. M. (Hellint), superioris fasciculi solutiones quoque miserat.

PALAESTRA LATINA

Index rerum atque scriptorum

a. 1957 et 1958

Disputationes praecipuae

1957. — *G. Beach*, Quo modo lingua latina tradenda est, 1.

A. Grisart, De veris causis ob quas lingua latina discenda est et de optimis viis et rationibus quibus in scholis mediis tradenda est, 8.

Ae. Orth, Lucretiana 1957, 17.

J. Jiménez Delgado, Quo modo lingua latina iterum universalis deveniat, 61.

Ae. Orth, Ciceroniana, 72.

L. M. Sansegundo, De RE particulae usu et notione apud Ovidium, 78.

N. Mangeot, Ignatius, Hispaniae et Ecclesiae decus atque ornamentum, 98.

A. Guercio, O patris colles!, 125.

N. Mangeot, De Seneca Stoico, 134.

Ae. Orth, De Marsilio Ficino, 138.

A. Avenarius, Narratur atrocitatum intempesta nocte factum, 158.

L. M. Sansegundo, De Julio Caesare viro litterato, 189.

A. Avenarius, Ad M. Tullium Ciceronem oratio, 196.

N. Mangeot, Uter major fuerit Ulixes an Aeneas?, 200.

Ae. Orth, De vita Galeni medici, 202.

K. Schönberger, Lingua latina quanti necessario habeatur, 204.

A. Pacitti, O diurnarios, lepida capita, 208

1958. — *M. Molina*, Quid causae fuit cur Julius Caesar trucidaretur, 253.

F. Sánchez Vallejo, Cicero post viginti saecula redivivus, 264.

Ae. Orth, De Platone, 275.

A. Pacitti, De unica omnium latinorum

substantivorum adjectivorumque declinatione, 321.

L. M. Sansegundo, «Deus» et «dii» apud Marcum Tullium Ciceronem, 337.

N. Mangeot, De Cicerone Romanorum oratorum summo, 348.

J. C. Schönberger, De Goetheo veterum scriptorum studioso, 351.

J. Jiménez Delgado, De «j» et «v» litteris retinendis, 381.

J. Ijsewijn, Carmina Gezelliana, 390.

Ae. Orth, De Democrito, 394.

Regulae orthographicae, 416.

N. Mangeot, Ovidius Naso, 446.

J. Ijsewijn et J. Jacobs, Iter ad Blemyes, 450.

C. Schönberger, Quae sit nostra aetate condicio artium bonarum, 456.

Ae. Orth, Demetrius Alexandrinus, 458.

J. Holzer, De «clausura fulminea» iterum, 466.

Narratiunculae et fabellae

1958. — *J. Aramendia*, Pinus principatum obtinet, 475.

Avenarius, De Pio Papa XII «anecdota», 463.

Carmina

1957. — *J. Morabito*, Laërtiades (Hom. Odys. 335, ss.), 24.

J. Balde, Cygnus, 96.

J. Balde, Ad Infantem Jesum in Bethlemto specu, 97.

H. Paoli, Apophoreta, 148.

H. Paoli, Carmen Conviviale, 155.

H. Paoli, Francisci Oppidum, 157.

R. Avallone, Tu quoque, Christel, 166.
J. Fabregas, Pto XII Summo Pontifici, 207.
F. Aloise, Funere mersit acerbo, 216
Fr. Aloise, Ad Vergiltum, 216.

1958. — *J. Morabito*, Ad Dominam, 279.
 Desiderium Dominae, 279; Sua ipsius imago,
 280; Ad Florentiam, 280; Ad Zacynthum, 281;
 In funere Joannis fratris, 281; Ad Musam, 282;
 Saeculo exeunte, 282;

Eu. J. Martin, Angelico Doctore, 283.

A. Guercio, Francisca Artiminenis, 344.

J. Morabito, Tristis hora, 401; Fictum iter,
 403; De corde puellae, 403; Sepulcrum, 405.

H. H. Paoli, Cantus nivalis, 462.

Epistularum inter socios commercium

1957. — *Avenarius-Mir*; *Mir-Avenario*, 29.

Avenarius-Mir; *Mir-Avenario*, 142.

Eichenseer-Mir; *Mir-Eichenseer*; *Avenarius-*
Mir; *Mir-Avenario*; *Holzer-Mir*; *Mir-Holzer*, 84.

Avenarius-Mir, 226.

1958. — *Avenarius-Mir*, 276.

Eichenseer-Mir; *Eichenseer-Mir*, *Mir-Eichen-*
seer; *Mir-Oliveiro de Guise*; *Pacitti-Mir*, 412.

Avenarius-Mir; *Mir-Avenario*, 464.

Mir-Holzer, 468.

Nova et Vetera

1957. — *J. M. Mir*, De argentaria, 35; De
 vestibus et calceamentis Romanorum, 161.

J. Holzer, De taeniludto, 217.

1958. — *J. M. Mir*, In campo athleticae,
 284; Canales, 353; Laconicum - Calefactio, 406;
 Nos in schola latine loquimur, 469.

Per Orbem

1957. — *J. Sidera*, 42, 102, 167, 229.

1958. — *J. Sidera*, 294, 358, 419, 486.

Collectanea

1957. — *J. Sidera*, 45, 170, 233.

1958. — *J. Sidera*, 299.

Documentum consociationi «UNESCO»
 traditum, 423.

Dialogus

1958. — *M. Molina*, Romanorum castra,
 425.

Bibliographia

1957. — *G. Garuti*, Il tipo «-turus sum»
 nel latino arcaico, 47.

G. Garuti, Il toponimo in luogo dell'etnico
 in latino, 47.

A. Martín Sarmiento, Sentido religioso de la
 obra literaria de Jean Aristeguteta, 48.

W. Brandenstein, Griechische Sprachwis-
 senschaft I, -19.

Hoffmann-Debrunner, Geschichte der grie-
 chischen Sprache, I, 49,

A. Debrunner, II, Grundfragen und Grund-
 zuege des nachklassischen Griechisch, 49.

O. Seel, Die Satiren des Perstus, 49.

P. Remark, S. Aurelii Augustini Soliloquio-
 rum libri duo, 49.

Hatier, Dictionnaire Français-Grec, 50.

Hjalmar Frisk, Griechisches Etymologi-
 sches Wörterbuch, 50; 239.

A. Walde Lateinisches Etymologisches
 Wörterbuch Register, 50.

A. Magne, Dictionário Etimológico da Lin-
 gua Latina, vol. I, I, II, III, 50.

H. Bardon, La Littérature latine inconnue,
 Tom II, 51.

G. Mathieu, Démosthène - L'homme et
 l'oeuvre, 51.

V. Bejarano - M. S. Ruipérez, Latín Segun-
 do, 51.

Moreau, Chateaubriand: L'homme et l'oeu-
 vre, 52.

Alquié, Descartes: L'homme et l'oeuvre, 52.

Orozco Diaz, Góngora, 52.

C. W. Ceram, Le secret des Hittites, 106.

A. V. Thomas, Dictionnaire des difficultés
 de la langue française, 106.

Vox, Diccionario abreviado de la Lengua
 Española, 107.

K. Mraz, Die Hauptwerke des Lukian, 107.

H. Wagner - V. Kraiker, Griechenland, 107.

G. Lurquin, Enchiridion, manuel de Grec,
 107.

R. Hugo Benson, El amo del mundo, 108.

I. Plaut, Méthode «Naturelle» de Latin.
 Méthode «Naturelle» de Grec. Les sons du
 Grec Ancien, et leurs modifications, 108.

- V. Ussani, *Insomnia*, 109.
 J. Verdick - G. Groeninckx, *Via Nova*, 109.
Academia Colombiana, Anuario de la Academia Colombiana, 110.
 Ch. Rosset, *Exercices Latines*, 110.
 G. Sarro - A. Davico Grifoni - G. Barone, *Sermo Latinus*, 111.
 Ch. Mohrmann, *Latin des Chrétiens, Latin Médiéval*, 111.
 A. Michel Landgraf, *Introducción a la Historia de la literatura teológica de la escolástica incipiente*, 111.
 R. Restrepo, *Apuntaciones idiomáticas y correcciones del lenguaje*, 112.
Certamen Capitolinum, VII, MDCCCCLVI, 112.
 C. Vassalini, *Appendix Vergiliana: Ciris - Catalepton*, 112.
 L. Mascialino, *LICOFRON, Alejandra*, 173.
 M. Sacchetti Fermi, *T. LIVIO, Ab Urbe condita*, 173.
 L. Pedroli, *M. T. CICERONIS, De provinciis consularibus*, 173.
 L. Alonso Schökel, *La formación del Estilo*, 174.
 M. Martín Peña, *Instituciones militares romanas*, 174.
 A. P. Garnier, *Dans l'ombre de Virgile*, 175.
 R. Pomeau, *Beaumarchais: L'homme et l'oeuvre*, 175.
 C. Egger, *Lexicon nominum virorum et mulierum*, 175.
 Brugnoli, *Studi sulle «Differentiae verborum»*, 176.
 V. Ussani, *Studio su Valerio Flacco*, 176.
 G. Ferir, *Comment étudiant*, 176.
 D. Mornet, *Comment prépare et rédiger une dissertation pour la licence ès lettres*, 177.
 Giomini, *Saggio sulla «Fedra» di Seneca*, 177.
 F. Peeters, *Quelques beaux vers d'Ovide*, 177.
 J. Ruelens, *C. Julius Caesar: De Bello Gallico*, 178.
 G. Dorminger, *C. Julius Caesar: Der Bürgerkrieg*, 178.
 Antidoron, *Hugoni Henrico Paoli oblatum*, 178.
 Eisenhut, *Catull: Lateinisch-deutsch*, 179.
 W. Gerlach, *Ovid.: Briefe der Leidenschaft Heroïdes*, 179.
 F. Arnaldi, *Antologia della poesia latina*, vol. I, 179.
 M. Bonaira, *Mimorum Romanorum Fragmenta*, 179.
 G. Siégen, *Commentaire sur Cinq Bucoliques de Virgile -3, 6, 8, 9, 10-*.
 M. Simonetti, *Studi agtografici*, 180.
 E. Schwartz, *Zur Geschichte und Literatur der Hellenen und Römer*, 235.
 E. Lissner, *Die Cäsaren*, 235.
 H. Poeschel, *Die Griechische Sprache*, 235.
 Otto-Wilhelm von Vacano, *Die Etrusker*, 236.
 H. Weller, *Carmina Latina*, 236.
 E. Valgiglio, *Plutarco: Vita di Mario*, 236.
 B. Migliorini, *Saggi linguistici*, 237.
 P. Cloché, *Un fondateur d'Empire: Philippe II Roi de Macédoine*, 237.
 J. Modrzejewski, *Polish Papyrology in the years 1945-1955*, 238.
 R. G. Austin, *M. A. Some English translations of Virgil*, 238.
 C. E. Mesa, *Ensayos y semblanzas*, 238.
 W. Hertzberg, *Publius Ovidio Naso: Liebeskunst*, 238.
 F. Speranza, *Neologismi nelle «Selve» di Publio Papinio Stazio*, 238.
 K. Mueller, *Q. Curtius Rufus: Geschichte Alexander Grossen*, 239.
 H. Faerber, *Cornelius Nepos*, 239.
 J. Angrisani, *In matutinis meditabor in te*, 239.
 J. Angrisani, *Homiliario Dogmático*, 240.
 M. Gurrta - A. Mateo, *Lengua Latina*, 240.
 IN OPERCULIS:
 A. Weiher, *Homer: Odyssee Griechisch und deutsch*.
 Klotz, *T. Maccius Plautus: Komoedien*.
 Lenz, *P. Ovidii Nasonis: Halleutica...*
 Ruiz Bueno, *Homero: La Iliada*, T. I, II, III.
 K. Buechner, *P. Vergilius Maro, Der Dichter der Roemer*.
 1958. — M. Wegner, *Hadrian*, 302.
 G. Avenarius, *Luktans Schrift Geschichtschreibung*, 302.
 A. Hus, *Les Etrusques peuple secret*, 302.

- Gigon, Marcus Tullius Cicero: Gespräche in Tusculum, 303.
 Färber, Horaz: Sämtliche Werke, 303.
 Treu, Sappho: Lieder, 303.
 Willige, Properz: Elegien, 303.
 Kurfess, Sibyllinische Weissagungen, 303.
 Durlmeier, Platon: Phaidon, 304.
 H. Beckby, Anthologia graeca, 304.
 F. E. Adcock, Caesar as man of letters, 304.
 S. B. Pereira, Alma Roma-Pompejana, 305.
 L. Alonso Schökel, La formación del estilo, 305.
 S. Mariotti, Il «Bellum Poenicum» e l'arte di Nevio, 305.
 R. Giomini, Saggio sulla Fedra di Seneca, 306.
 E. Lenard, C. Julius Caesar: Fortissimi sunt Belgae, 306.
 L. Laurand et A. Lauras, Manuel des études grecques et latines, Tom. I, 306.
 Alf. Oennerfors, Pliniana, 307.
 F. Klingner, Roemische Geisteswelt, 307.
 A. Bacci, Vocabulario italiano latino delle parole moderne e difficili a tradurre, 307.
 A. Masciullo, Il verbo latino nelle sue irregolarità e costruzioni speciali, 308.
 G. Magariños, Juvenal y su tercera sátira, 308.
 F. Houbrexhe, Homère, Iliade texte commenté, chants I-VI, 308.
 L. Cellier, Gérard de Nerval: L'Homme et l'Oeuvre, 309.
 A. Traina, L'alfabeto e la pronunzia del latino, 309.
 V. Larock, Erasme: Eloge de la Folie, 310.
 A. Lejeune, Recherches sur la Catoptrique grecque d'après les sources antiques et médiévales, 310.
 E. V. Marmorale, Persio, 310.
 E. Valgiglio, Silla e la crisi repubblicana, 311.
 M. Villey, Le Droit Romain, 311.
 G. Manzo, Dizionario della sintassi latina, 311.
 M. Maffi, Cicerone e il suo drama politico, 312.
 H. D. F. Kistto, Die Griechen, 312.
 F. Valori, Trenta secoli di invenzioni, 360.
 J. Corominas, Diccionario Critico Etimológico de la Lengua Castellana, 360.
 M. A. Peckett-Munday, The Standart two year Latin Course for the oral method: I Principia, II Pseudolus noster, 361.
 H. Hoffmann, Petrus Hirrutus, 361.
 J. de Vallata, Poliodorus, 362.
 Leandro de San José, Gramática hispano-latina comparada, 362.
 G. Pavano, Linguistica sistematica, 363.
 A. Pastorino, Tropaeum Liberti, 363.
 J. Frappier, Chrétien de Troyes, 364.
 R. Bossuat, Roman de Renard, 364.
 J. C. Garcia-Borrón Moral, Séneca y los Estoicos, 364.
 S. Montserrat, Interpretación histórica del Quijote y otros ensayos, 365.
 J. A. Nuñez, Leopoldo Lugones, 365.
 K. Ziegler, Plutarchos von Chaironeia, 365.
 F. Castagnoli, Foro Romano, 366.
 E. Decahors, Dictionnaire Français-Latin, 366.
 Griechische Grammatik. I Teil: H. Zinsmeister, Laut- und Formenlehre. II Teil: H. Lindemann, Satzlehre. H. Faerber, Dialektgrammatik und Metrik, 366.
 A. Lagier, Memento grammatical et orthographique, 367.
 U. E. Paoli, Apis Matina, 367.
 H. Berguin, Grammaire Latine, 367.
 Gautreau et Rosset, Grammaire latine, 368.
 G. Comes, Latina Vox, 368.
 K. Buechner, Roemische Literaturgeschichte, 428.
 Ch. Moeller, Literatura del siglo XX y Cristianismo, III, 428.
 W. Clausen, A. Persi Flacci Saturarum liber, 429.
 Hjalmar Frisk, Griechisches Etymologisches Woerterbuch, 429.
 J. F. Niermeyer, Mediae latinitatis lexicon minus, 429.
 E. Paratore, Storia del teatro latino, 429.
 M. A. Pei, La meravigliosa storia del linguaggio, 430.
 F. Buffiere, Les Mythes d'Homère et la pensée grecque, 430.
 M. Guallar Pérez, Indíbil y Mandonio, 430.
 J. Van Ooteghem, Bibliotheca graeca et latina, 431.
 F. Bernini, Dizionario della lingua latina, 431.

B. J. Hofmann, El latín familiar, 431.

J. Stierli, Cor Salvatoris, 432.

S. Gili y Gaya, Diccionario de Sinónimos, 432.

Bell Maurice, Druides, Héros, Centaures, 493.

Bibliothek der alten Welt, Lucrez, Velt aus Atomen. De rerum natura, 493.

Ovid, Metamorphosen, 493.

Martial, Epigramme, 494.

Frisk, Hjulmar, Griechisches etymologisches Wörterbuch, 494.

Marache, R., Mots nouveaux et mots archaïques chez Fronton et Aulu Gelle, 494.

Schuster M. - Hanslik R., C. Plini Caecili Secundi Epistularum libri novem, Epistularum ad Trajanum liber, Penegyricus, 495.

Rodríguez, J., Clase de Lectura y Declamación, 495.

Tescari, Onorato, Sintassi Latina, 495.

Labriolle P., La Cité de Dieu, 496.

Perret J., La Cité de Dieu, 496.

IN OPERCULIS:

M. Bassols de Climent, Sintaxis Latina, vol. I, II.

G. Pesce, Sarcofagi Romani di Sardegna.

J. Marouzeau, Du latin au français.

Lais Hermann, Problemas actuales de la apologética.

A. Albert, Ungido y enviado.

Parenzan P., Tenebre luminose.

P. Corneli Tacit, Histories, vol. III.

Palaestra Adulescentium

1957. — L. M. Sansegundo, Linguam discito lingua, 53; Paedagogus adulescentibus, 181.

Scribite, pueri!, 113.

Aulus scholam convenit, 241.

1958. — Aulus instrumenta scholastica parat, 313.

Aulus et Marcus scholam petunt, 369.

Aulus in villa rusticatur, 433.

Lugete, pueri, lugete! 493.

1957. — Exitus certaminis latini, 110.

Epistulae inter alumnos dantur

1957. — Delmas-Latorre; Latorre-Delmas; Delmas-Latorre, 119; Beltrán-Aztarain; Lerrí-Leathan, 248.

1958. — Delmas-Latorre; X.-Urtasun, 318, 319; Guimerá-Pons; Pons-Guimerá; Casajús-Serceau; Serceau-Casajús; Abad-amico ignoto, 372; Thomas-avunculo suo, 436; Fernández-Muñoz; Forcén Ruiz-dilecto fratri suo, 437; Yannick d'Arcimoles-J. Sánchez, 440; Todd-Gassull, 441.

Narrationes et fabellae

1957. — K. Huber, Puella pulchra et puella foeda, 54.

A. Sanz, J. Jiménez, De morte Curtionis, 55.

J. Camarero, Garrula mulier, 59.

E. Carbajo, Vulpes et corvus, 115.

Palaesticus, Ab homine quodam, 122.

F. Pujol, Judex, causicus et asinus, 122.

Avenarius, Aequa lance, 123.

C. Latorre, Musculus, botulus assus, passer, 182.

I. Jiménez, Anaticulae villicae fabella, 183.

J. Comas, Callidus debitor, 187.

M. Augé, Vicanus et similia, 187.

F. García, Filius oboediens, 187.

G. Marimón, Cives, en prunus omnium vestrum!, 242

J. Sardá, Intaphernes, 244.

G. Marimón, Animo esto grato, 245.

J. A. Martínez, Diogenes, 245.

G. A. Gaitán Méndez, Quid hoc anno a Magis suo festo die exspecto? 251; Canis lupus callidior, 252.

1958. — A. Rodríguez, De asino bono, 314.

R. Castillo, Alexander et calliditas Indorum, 315.

J. Gregorio, Callidus psittacus, 319.

J. Aramendía, Cavenda est eventorum cupiditas, 370.

A. González, Ludamus pediludio, 376.

- A. M. *Monreal*, Famulus fidelis, 378.
 F. *Mejta*, Lupus et cuniculus, 378.
 A. *Avenarius*, Structura petasi turriti ludificatur Joannellum, 434.
 M. *Alsina*, Rex et rurtigena, 436.
 B. *Beltrán*, Feles callida, 440.
 J. *Yubero*, Jocus in foro, 440.
 S. *Solá*, Acumen ingenti, 441.
 N. *Mangeot*, Quid modestia militaris valeat, 442.
 R. *Bilbao Egusquiza*, Joannes et phaseli magici, 494.
 C. *Latorre*, Amici quoque in morte, 498.

Carmina

1957. — J. *Franco*, Carmen Laudatorium, 250.

Miscentes utile dulci

1957. — Antiqui gentium mores, 58; 196.
 Sapientium dicta, 58.
 Senum consilia, 58.
 Lemmata Imperatorum, 186.
 Anagrammata latina, 186.
 J. *Canals*, Quemdam rogantem..., 244.
 Homo impudens..., 250.
 Pueri e ludo exeunt, 250.
 R. *Torner*, Xantippa, Socratis uxor, 250.

1958. — J. M. *Camarero*, Quidam ex Lacedaemoniis..., 318.

- Emm. *Ayala*, Cum Cyrus Croesum vicit..., 318.

Picturae

1957. — *Ramón*, Theodostus, 56; Anulus falsae suspicionis Index, 184; Romulus Urbis et Imperii Conditor, 246.

1958. — Horatii et Curiatii, 316; Horatius victor, 374; Mettius proditor, 438; Lucumo seu L. Tarquinius Priscus, 496.

- Beructe*, Hannibal, 120.

Curiosa et Jocosa

1957. — 60, 124, 188.

1958. — 320, 380.

- Dr. Dold*, Acuta per telephorum responso. Congruum telegrama, 503.

- P. Piazza*, Juppiter fulgurans, 503.

- A. Avenarius*, Reus recidivus, 503.

Aenigmata

1957. — 251.

1958. — 319, 444.

- Antiqui gentium mores, 196.

BIBLIOGRAPHIA

PARENZAN PIETRO. — *Tenebre Luminose*. Società Editrice Internazionale, Torino, 1957, pag. 408.

His nostris temporibus quibus nova scientia quam dicunt spelaeologiam, plurimis variisque institutionibus scientificis et «disportivis» seu gymnics maxime fovetur ac promovetur, notissima domus seu «Societas Editrix Internationalis» suam auxit bibliothecam editione pulchri hujus libri ab illustri Petro Parenzan scripti, qui spelaeologicis explorationibus studens, ea —sociis laboris juvantibus— quae sub meridionalis Italiae terra sunt abscondita, scrutatus est atque nobis patefecit.

Ut ipse auctor in praefatione simpliciter confitetur (pag. VII) «il presente libro non è un lavoro scientifico, nè tecnico. È classificabile nella categoria dei libri di lettura amena e istruttiva...» —ego, plane dicam, humanissimi lectores, plena quadam animi et oculorum delectatione pervolutavi librumque legi—; sed cum auctor plurima eaque curiosa facta, quae magnopere ad spelaeologiam, nobis praebeat, ideo hoc opus etiam considerari potest «come utile documentario orientativo in quanto rende conto delle attività speleologica nell'Italia meridionale» (pag. VII).

In primis capitibus de laboribus et explorationibus quae ab ipso P. Parenzan initae sunt ac perfectae, auctor nobis narrat atque exponit. Sequuntur deinde nonnulla capita —si capita appellari possumus— ad animalia, ad plantas satque, ad alia multa curiosissima illustranda quae sub terra latent.

Haec sunt, lectores, capita quae vobis fortasse, ut mihi, plus utilitatis maximumque oblectamentum offerre possunt:

—«Scopro l'uomo preistorico nel Salermitano» (pag. 104), ubi de exploratione illa agit in qua fragmenta —seu partes— hominis praehistorici multa inveniunt.

—«I pallidi abitanti delle caverne» (pag. 285), «Le misteriose piante delle caverne» (pag. 327).

—«Le caverne e l'arte primitive» (pag. 331).

Liber absolvitur accuratissimo indice (pag. 383-405) locorum geographicorum, plantarum, animalium, picturarum quarum aliqua vividis coloribus sunt depicta. Hic tandem liber amoenissima simplicique dictione et dicendi genere pulcherrimo scriptus, nitidis typis et optima charta est editus.

J. ARAMENDÍA, C. M. F.

P. CORNELI TACIT. — *Històries*. Vol. III. Llibre III. Text i traducció de Marià Bassols de Climent i Miquel Dolç. Fundació Bernat Metge. Barcelona, 1957, pg. 72 + 72.

Tacitum in linguas vernaculas convertere Romanum fere opus est. Tacitus enim latine loquitur sermoneque patrio utitur prout vult, neque sibi quicquam unquam curae fuit num aut quomodo in alienas unquam converti posset linguas.

Quare maxime dilaudandus est conatus in sermonem catalaunicum Taciti Historias convertendi cum praesertim id auctores optime sint assecuti. Quae enim legi et contuli (contuli autem totum accurate fere librum) vidi scripto primigenio apte eleganterque sat convenire. Hoc tertium volumen librum refert III historiarum, cum I et II jam pridem in eodem Corpore anno 1949 e prelo prodierint. — J. SIDERA, C. M. F.

LIBRI QUI INSCRIBUNTUR

Textos Palaestra

venales prostant apud officinam librariam

GRAFICAS CLARET

Lauria, 5

BARCINONE

TEXTUS NOTULIS INSTRUCTI

JIMÉNEZ, <i>Latín</i> , Primer Curso (2 edit.) venit	ptis.	12
• <i>Latín</i> , Segundo Curso (2 edit.)	•	20
• <i>Latín</i> , Tercero y Cuarto Curso	•	30
• De Orthographia latina (altera editio) Index latinus	•	
• <i>Historiae Sacrae compendium</i> , (4. edit.)	•	7
• <i>Epitome Historiae Graecae</i> , (5 edit.)	•	8
SARMIENTO, <i>Phaedri fabulae</i> , (edit. paratur)		
RAMOS, <i>Corneli Nepotis Vitae</i>	ptis.	5
MIR, <i>Ciceronis, epistulae selectae</i>	•	4
JIMÉNEZ, <i>Caesaris de bello civili</i> , (2 edit.)	•	6
• <i>Ciceronis pro Archia poeta</i> , (2 edit.)	•	10
• <i>Ciceronis in Catilinam</i> , (2 edit.)	•	7
RAMOS, <i>Ciceronis pro Q. Ligario oratio</i>	•	10
MARTIJA, <i>Vergili Aeneidos</i> , (lib. II, 2 edit.)	•	8
MESA, <i>Sallusti de Catilinae Conjurazione</i> , (2 edit.)	•	8
PLANQUE-PLANAS, <i>Gramática Griega</i>	•	36
MARTIJA, <i>Prudenti Carmina selecta</i> , (2 edit.)	•	5
SARMIENTO, <i>Martialis Epigrammata</i>	•	4
MESA, <i>Titi Livi Historiae selectae</i>	•	8
ZULOAGA, <i>Horati Carmina Selecta</i>	•	6
RUIZ, <i>Homeri Odyssea</i> , (lib. I)	•	10
RAMOS, <i>Xenophontis Anabasis</i>	•	12

PALAESTRAE LATINAE volumina annis praeteritis edita

I. <i>soluta</i> : ab anno 1939 ad a. 1954	veneunt ptis.	25
ab anno 1955 ad a. 1957	•	50
II. <i>linteo connecta</i> : a) singula volumina unum annum		
complectuntur (ab a. 1939 ad a. 1954)	•	35
b) singula volumina binos annos		
complectuntur (ab a. 1939 ad a. 1954)	•	60
c) volumen annos 1955-1956 complectitur	•	115

Ex officina typographica: F. Camps Calmet — Tarregae (in Hispania)